



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

lvlii

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**

gic sitatis, quantæ sanctitatis, quàm feruens in ordine, per sanctas eius reliquias Dominus vsque hodie non cessat ostendere. Nuper per reuelationem leuata sunt ossa eius, & in sacrario posita, reseruanturque pro reliquijs.

a. De hoc Conrado vide egregium miraculum in *Thoma Cantiprat. lib. 1. Apum c. 9.*

b. His adde Gobertum de quo infra 20. Augusti, & F. Walcerum de Traiecto monachum Villariensem de qua *Cantiprat. lib. 2. Apum cap. 26.*

### Prima die I V L I I.

#### 1<sup>o</sup> De sancto Rumoldo, patrono Mechlin.

*Ex Martyrologio Mechliniensi.*

**M**Achlinia, passio sancti R Y M O L D I, gloriosissimi martyris atque pontificis, Scottorum regis filij, signis & doctrina mirabilis. Qui regalis celsitudinis solum & pontificalis dignitatis respiciens honorem, Machliniam petijt sibi diuinitus reuelatam: quam octauo Calendas Iulij consecrauit martyrio. Sed quia eodem die sanctissimi Baptistæ & præcursoris Domini celebratur natiuitas, Romanus pontifex Alexander quartus passionem martyris in natiuitatis prædictæ octauis instituit sollemnizari. Sanctus itaque Rumoldus ex parte Scottiæ, quæ hodie Hybernia dicitur, desertis patria, parentibus, nobilitate & archiepiscopatu Dublinensi, Romam iuit; & inde, habita Pontificis benedictione, iuxta Angeli apparitionem, eò peruenit vbi Scaldis fluius in mare se exonerat, naturaque iuxta hunc curriculum labitur ac perfluit. Hec est, Mechliniam, ybi sic fidei rudimenta

menta plantauit, vt meritò post beatum Lambertum Mechliniensem Apostolus habeatur. Suscep-  
tus est autem benignè ab Adone Comite, eius-  
que coniuge Eliza Quæ, veluti altera Sara, in se-  
nectute sua precibus sancti hospitis filium peperit,  
sanctum videlicet Libertum, postea martyrem:  
quem beatus Antistes baptizauit, in sanctitate  
erudiuit, ac clericis regulariter in Vlmeto, siue in-  
ter vlmos viuentibus, preposuit. Sed anno septin-  
gentesimo septuagesimo quinto, duo sicarij secure  
dirum vulnus in caput episcopi inflixerunt, vnde  
mox martyr migravit. Vnus ad hoc facinus im-  
pellebatur cupidine auri: alter quia à præfule de  
adulterio erat reprehensus. Natalis celebratur  
Mechliniæ Calendis Iulij, & thecam habet argen-  
team, valdeque sumtuosam, cui parem in Belgio  
non reperias. Eundemque locum multis miracu-  
lis, & non rarò victoria contra hostes decora-  
uit. Est præterea Stein-ockersela apud Viluor-  
diam, vbi sanctus Rumoldus ecclesiæ est patro-  
nus, eo quod inibi tempore bellorum, à Mech-  
liniensibus in campo apud castrum *Ham* defossus  
fuerit, eundemque locum diuersis exornauit mi-  
raculis.

Est autem Mechlinia vnica ciuitas in ditione Mechli-  
nensi, æqualiter distans à tribus primarijs Brabantie vbi-  
bus, Louanio, Bruxella, & Antwerpia. Dicitur etiam Mach-  
linia, & à Gallis Malina. Quæ vox nunc extra vsum est in  
Latino sermone: aliquando tamen tristissima fuit, quando  
Lyra, oppidum vicinum, Ledo nominabatur, Ledo autem  
& Malina, leguntur pro maris recessu & accessu, in ap-  
pendice ad romanum tertium Augustini, in libro primo  
de mirabilibus sacre Scripturæ, capite septimo, & alibi.  
Vnde à maris fluxu, hæc nomina indita esse supradictis  
oppidis annotatum est ante annos trecentos in histo-  
rijs de Rumoldo & Gummaro manu-scriptis. Est autem

Rumoldi festum ex constitutione primæ Synodi Mechliniensis, duplex per diocesim: novem lectionum, per provinciam. Celebraturque ab omni populo ditionis Mechliniensis. Sunt & secundaria festa decimo quinto Calendas Novembris; In Machlinia translatio beati Rumoldi martyris atque pontificis, Sexto Calendas Novembris: in Mechlinia, relatio beati Rumoldi episcopi, & martyris, Suspiciantur autem hodie nonnulli beatum Rumoldum filium fuisse Etfrici regis Scotiæ: cui in regno successerunt tertius filius & quartus, Fergusus & Achaius; primi autem filij & quarti nomina non exstant. Addunt iidem fortassis, eum, quia regis Scotiæ filius erat, debuisse Dublinensem Sedem relinquere, quando Solvatius, qui inter Fergusum & Achaium regnavit, bellum cum Hybernis gerebat, & hac occasione eum Romam peregrinatum esse, & reversum Christi Evangelium Mechliniæ prædicasse. Quæ ex temporum consensu magnam haberent probabilitatem, nisi vetusta Mechliniensium monumenta eum filium assererent Davidis regis: & precibus Guallaferi præfulis Dublinensis editum testarentur, ac ab eodem baptizatum. Ex quibus colligo eum fuisse filium cuiusdam regis Hybernici. Neque mirum est si hic David alibi non legatur, cum beatus Bernardus testetur Hyberniam non vnum regnum, sed plura fuisse, quorum tamen regnorum seriem magna ex parte intercidisse puto. Si vigeas eum ex regali Scotorum prosapia oriundum esse, admitto: nam id passim per ecclesias diocesis Mechliniensis canitur. Sed antiquitus Hybernos Scotorum nomine comprehensos fuisse, ex vita beati Patricij, & aliunde est manifestum. Quod pertinet quod Beda asserat Hyberniam propriè esse patriam Scotorum. Quodque Ionas scribit initio vitæ Columbani, Hybernorum insulam Scotorum gentem incolere. Habuit etiam Monasterium sive Mimerghardensis ecclesia beatorum Rumoldum episcopum, qui veluti alter Ioseph in Ægypto, sic ille in Vuestphalia in caritate annonæ multam largitatem indigentibus impendit, sed post annum Domini nonagesimum: ut nulla ratione cum Mechliniensium ecclesiaste confundi possit, qui eum integra centuria antecessit.

*In vita  
Mechlinia.*

*In historia  
Anglo-  
rum.*

*Alb. Cran-  
ston l. 2.  
Metropolit.  
cap. 25.*

2<sup>o</sup>. *De sancta Regina, fundatrice  
Dononij.*

*Ex officio Dononiensi, de sanctis Regina & Rager. Frede.*

**I**N Dononio monasterio, solennitas sanctæ REGINÆ. Quæ Regina fuit nomine, regina nihilominus prolapia regum, & affinitate, regina etiam præclaro morum regimine, & ad vltimum regina superni regis dotatione. Hæc ex consilio parentum & Pipini regis ( cuius neptis erat ) in conjugale consortium accepit Aldebertum, ex primis palatij proceribus, probitate & militia apud regem clarum, virtute animi & gratia apud regem Christum clarissimum. Clarebat enim non solum nobilitate sanguinis & opulentia prædiorum; verum etiam omnimoda morum bonitate, & actuum suorum experientia. Sociati autem in charitatis copula, Deo primum, & postea per Deum sibi inuicem placere studebant, totum vitæ suæ cursum decenter ornantes. Facti sunt per eleemosynas locupletiores, per humilitatem potentiores. Non enim nudus Christus ante eorum fores moriebatur, famem aut sitim patiebatur, sed angustiatos indigentia & oppressos præiudicio subleuabant. Quibus etiam Deus ex superno felicitatis benedictione decem dedit filias, quæ à parentum moribus non dissimiles, omnes elegerunt cœlibem vitam, vt transacto cursu, gratiosiores Deo decurrerent. Ædificarunt etiam parentes harum virginum ad Scaldim fluuium, in loco qui Dononium dicitur, cœnobium ad honorem Dei genitricis, itemque ecclesiam in venerationem sancti Martini. Vbi numerosum sanctimonialium numerum cui

rum, cui beata Ragenfridis filia præfuit, & clericorum Dei gregem instituerunt, redditibus & prædijs decenter ad seruitutem Dei legatis. Visuntur eorum sepulcra in parochiali ecclesia, sed corpora eleuata sunt, & in monasterij summo altari, in argenteis pheretris quiescunt, sanctæ Ragenfridis in medio; beati Aldeberti, qui tamen non est canonizatus, in dextro latere: in sinistro verò, sanctæ Reginae. De secundo festo sunt verba propriae ecclesiae: *Decimo sexto Calendas Aprilis. Apud Dononium eleuato corporis sanctæ Reginae.* Cæterum diei huius lectiones continent corpus sacrum in Saxoniam delatum esse, cum ibi negata iustitia, prædia sanctæ Reginae inuaderentur. Antequam autem eo peruenirent, vir quidam deiectis limitibus prædia monasterij inuaserat, & cum nec cœcitate, nec alijs plagis emendaretur, per secreta naturæ omnia interiora eiecit, & sic miser prædium cum anima perdidit. Postmodum perducto ad prædium corpore aduocate, diuinitus limites prædij distinguebantur, & corpus condigna ueneratione Dononium referebatur.

Est autem locus apud Valencenas, in finibus diocesis Atrebatensis, quam eo loci Scaldis terminat. Ibi que sancta Regina pingitur cum corona in capite, cuius causa ex ante dictis colligi potest, & cum baculo abbatiali, quia vel prima præfuit, vel si filia memoretur prima, ipsa tanquam fundatrix plus fuit quam abbatissa. Caret autem nigro velo ob amissam uirginitatem, & fortassis eandem ob causam sacris uirginibus sese præponi absurdum iudicauit,

Die

## Die secunda Iulij.

*Memoria beati Petri de Lutsemburgo.**Ex historia Lutsemburgi manu-scripta.*

**A** Venione, obitus beati Petri de Lucelburgo, tituli ad sanctum Georgium ad velum aureum diaconi Cardinalis. Qui parentes habuit ex Imperiali & Regali stirpe prodeuntes, Guidonem de Lucelburgo, Comitem sancti Pauli in Picardia, & de *Luceyo*, & dominam Mathildam de Castilione. Hi autem puerum bonam sortitum animam liberalibus artibus & Decretis imbuendum, Parisijs tradiderunt. Vbi à Clemente septimo, anno decimo, ætatem moribus transiens, Parisiensis Canonicus est institutus, & post biennium archidiaconus Carnotensis, & decimo quinto ætatis anno, licet plurimum tenicens, episcopus ecclesiæ Metensis. In quibus sanguinis & honorum dignitatibus sese non extulit: sed omnia tanquam araneorum fila nihili pendens, soli Deo placere studuit. Vnde etiam Clemens voluntati Dei se conformans, qui supra cardines terræ posuit orbem, eum fratrum consilio, Cardinalium collegio aggregavit. Cumque omni sanctitate poleret, crucem suam baiulando adeo Christi vestigia est insecutus, ut in ecclesiâ positus ipsum Iesum in cruce pendentem, corporeis oculis in aère meruerit intueri. Migravit autem per mortem ad vitæ auctorem circa annum \*decimum octavum ætatis, anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo septimo, die secunda Iulij, abstinentijs & disciplinis attritus. *Quota* autem die sepultus est Auenione in cœmiterio, ut ipse voluit, sancti Michaelis, vbi nunc est monasterium fratrum Cælestinorum de Lucelburgo. In quo loco, sancti Petri meritis, intra duos obitus sui annos, nongenta & sexaginta quatuor leguntur miracula contrigisse. Exstat porro de eo præclarum testimonium inter acta Concilij Basileensis: Scribit enim Philippus Burgundiæ & Brabantiæ dux, aliarumque ditionum Belgicarum dominus literas ad Basileenses Patres, ex villa sua Bruxellensi, quibus rogat Patres, ut canonizent & elevent dignæ per sæcula memoriæ dominum Petrum de Lutzelburgo Cardinalem, suum consanguineum, quem  
ex meritis

\* 22.

Tomo 4.  
Concistoria  
fol. 3, 8.

ex meritis gloriosis, & tot miraculis, velut inauditis, quibus quotidie coruscat, aliorum Christi confessorum collegio constat aggregari. Hoc etenim varijs in Concilijs, retroactis temporibus, fuisse inceptum, sed quibus medijs vel modis fuerit interruptum, vel imperfectum remanserit, ignorare se asserit. Fortassis autem præcipua causa fuit, quia Cardinalatum à Clemente septimo acceptavit. Is enim cum Cameracensis esset episcopus, & Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, illegitimè in Pontificem electus, sedecim annis Avenione resedit, contra Urbanum sextum, & Bonifacium nonum: & à Gallis potissimum Hispanis & Scotis, pontifex cognoscebatur. Porro hic noster Cardinalis Louanij in primaria ecclesia, in fenestra ad altare venerabilis Sacramenti depingitur procubens ante Crucifixi visionem. Quæ pictura ex superioribus à me est intellecta, & ex eo quod ad latus habeat arma Comitatus sancti Pauli, sub Cardinalitio galero.

2<sup>o</sup>. *De reliquijs sanctæ Monegundis  
apud Chimacenses.*

*Ex litteris D. Canonici Francisci Galland.*

*De vitap.  
vran. c. 19.*

**T**uronis, depositio sanctæ Monegundis viduæ. Cuius historiam sanctus Gregorius Turonicus episcopus descripsit. Natale eius tanquam festum solenne Chimaci celebratur secunda Iulij, postposito festo visitationis Mariæ, eo quod collegiata dictæ urbis ecclesia consecrata sit in honorem diuæ Monegundis, eiusque reliquijs exornata fuerit, quas duo Canonici in solennibus processionibus circumferre solent in loculo argenteo deaurato.

Simili ferè pietate Priscæ natalis ad diem decimum octauum Ianuarij colitur, & reliquiæ in argenteo portatili loculo honorabantur. Sed vtrisque reliquiæ sub Caroli quinti imperio perierunt, anno quinquagesimo secundo, Francis urbem conflagan-



conflagrantibus. In medio tamen chori sculptura superest Gallicis verbis, quæ Latinè sonant, Hic iacet nobilis homo, Iohannes Comes Sueffionensis, dominus Chimaci, qui apportauit corpus sanctæ Priscæ de partibus Romæ, qui obiit anno millesimo ducentesimo octuagesimo secundo. Homo pro vero.

Est autem Chimacum, Hannoniæ ciuitas, diocesis Leodiensis, duabus filiis, Fania & Theoracia interclusa, sub ditione & principatu ducis Arscorensis.

### Tertia die Iulij.

#### 1<sup>o</sup>. De sancto Guthagone confessore.

*Ex lectionibus in Oostkercka, quas accepi à Domino Mathia Laurentiano, Pœnitentiario Brugensi.*

**I**N Oostkercka, burgo Flandriæ, sancti GUTHAGONI confessoris, regis Scotiæ, qui ibi peregrinus pro Christo, in pace quieuit. Hic, sicut suæ posteritati antiquitas reliquit, creditur dum viueret, regalis fuisse dignitatis, sed considerans omnia esse vanitatem, quæ sub cælo sunt, in Flandriam peruenit. Vbi circa littora maris in vicino de *Knocken* aliquamdiu sanctè est conuersatus, & à clericis ac laicis Oostkerckæ cum deuotione sepultus, in occidentali parte cœmeterij. Sed Domino per eum crebra miracula faciente, corpus iuxta ecclesiam est maiori veneratione reconditum, & capella super eum constructa, vbi nunc est ecclesiæ campanile. Ghillo autem, qui eidem sancto adhuc viuenti familiaris adhæserat, ab eo iam defuncto auelli non potuit. Qui etiam creditur post mortem claruisse miraculis. Nam tempore Gregorij Curati dictæ ecclesiæ, qui postea in Ordine Prædicatorum fratrum sanctè vixit, manum

Julij 3.

xit, manum aridam cuidam, ab eo misericordiam imploranti, restituit. Vnde dictus Gregorius metricè scripsit,

*Contracto Ghillo scit opem conferre pugillo.*

Sed ipius corpore in terra manente, beati Guthagoni corpus, Domino per eum multa miracula faciente, de humiliori loco in capsam meritis eius decētem transtulit Gerardus Tornacensis episcopus, anno millesimo centesimo quinquagesimo nono, quinto Nonas Julij, assistentibus sibi venerabilibus abbatibus, de Dunis, Oudenburgo & Eeckhout. Eandem capsam reuenter & deuotè aperuit ac visitauit Nicolaus episcopi Tornacensis suffraganeus, die primo Octobris, anno millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto, inuenitque in ea testimoniales literas dicti Gerardi episcopi, pontificali ipsius sigillo munitas, quæ adhuc inibi cerni possunt. Festum Oostkerckæ celebratur, die tertio Julij, & primo Octobris. Reliquiæ verò iam conspiciuntur in muro ecclesiæ per ferreos cancellos, minus fortassis decenter.

*Ex literis  
Nicolni.*

### 2<sup>o</sup>. De allatione sancti Sidronij martyris.

Sancti Sidronij corpus, qui sub Aureliano principe martyrio est coronatus, Roma allatum est Messenas, ab Adela filia Roberti regis, & coniuge Balduinipij, Comitis Flandriæ. Quo loco anno millesimo sexagesimo quinto instituit Canonicorum collegium, & Benedictinarum monasterium, vbi etiam sacrum velamen, marito orbata, accepit.

*a Videatur Meyrus an. 1062. & 1065.*

Dic

Die quarta Iulij.

*De sancta Bertha, fundatrice Blanciaci,  
& prima Abbatissa.*

**B**lanciaci, depositio sanctæ BERTHÆ, pijs-  
simæ abbatissæ, quæ ibidem vitam finiuit in  
pace, multis in eodem loco virtutum signis vsque  
hodie refulgens. Hæc dum ad viginti annorum  
ætate peruenisset, à Sigifrido Clodouei regis cõ-  
sanguineo in vxorem petita est. Cui nupta quinque  
peperit filias, Gertrudem, Deotilam, Gesam, Ge-  
stam & Emmam. Mortuo autem marito, Mar-  
cianis cum sancta Rictrude (erant enim duorum  
fratrum viduæ) sollicitè additis ieiunijs orabat  
Dominum, vt ad suum famularum opportunum  
vellet construi monasterium. Tertia autem nocte  
transacti ieiunij, ab angelo designatum est Blan-  
ziacum oppidum, super Thenam fluum. Quo  
in loco constructo, & à beatis pontificibus de-  
dicato oratorio, ab iisdem religionis vestibis in-  
duta est. Duas quoque filias Gertrudem & Deo-  
tilam, mortuis Gesa & Gesta, secum Deo obtu-  
lit. Quintam verò, quæ Emma dicebatur, & Wa-  
raclino regi Anglorum postea malè nupsit, sub  
seculari habitu ibidem nutriebat. Fuit porro in-  
ter primarios nobiles Theodorici regis quidam  
Ruodgarius, qui Gertrudem multum, iam Deo  
dicatam, in vxorem expetebat. Vnde tandem san-  
cta Bertha eam coram toto cœtu posuit ad cor-  
nu altaris, & ostijs patefactis respondit Ruodga-  
rio: Ecce sponsa Christi adest, à venerabilibus  
episcopis velata, atque ad istud altare Deo dona-  
ta. Si audes Domino auferre, aufer. Nos etenim  
S mulie-

muliebris conditionis, virili manu tibi repugnare non valemus. Defensor noster Deus nos non relinquet. Quibus auditis ille, timore & ira repletus, abscessit. Nec conatus suos contra sanctam Bertham apud regem perficere potuit. Finiuit autem pijsissima fundatrix vitam suam in pace, die quarta Iulij, & multis virtutum signis refulsit. Est autem abbatia eius in Blanciaco municipio, postea conuersa in abbatiam monachorum ordinis sancti Benedicti. Qui etsi in Artesia & Belgio nostro habitent, subsunt tamen Bononiensi in Francia episcopo.

### Die sancta Iulij.

#### *De sancta Godeleva, martyre Gestella.*

**G**estellæ, passio beatæ GODELEVÆ martyris. Quæ honoratis parentibus orta est in territorio Boloniensi. Cùm autem ob vitæ sanctimoniam, iuxta Flandricum suum nomen *Godeliue*, Deo valde chara esset, maritus Bertulphus, nobilis Gestellensis, fraude maligni spiritus à tempore nuptiarum acerrimo odio & grauissimis iniurijs eam est persecutus. Vnde tandem fuga sibi consulens, parentibus calamitatis suæ historiam exposuit. Hinc pater à Balduino Flandriæ Comite petijt quod iustum erat decerni. Ille verò causam, quia ecclesiastici iuris erat, ad episcopum remisit. Vnde Bertulphus, tum antistitis auctoritate, tum Comitum potestate, sponsam resumfit, optima quæque promittens. Sed multo peiora consecuta sunt. Non enim oderat tantùm, vt prius, sed animum in eius necem obfirmabat. Illa interim se præ cunctis Flandriæ mulieribus, quæ supererant,

pererant, exaltandam, dono prophetiæ prædicebat. Nec multo post Bertulphus Brugas adiens, nè cædis conscius haberetur, per duos famulos curauit eam strangulari. Quod factum est anno millesimo septuagesimo. Et mox diuersa miracula sunt subsequuta. Apud pistorem crescebat farina, pro panibus in sepultura distribuendis. Humus ubi necata est, in candidos lapides vertebatur. Aqua in qua præfocata iniecta erat, à febribus & alijs morbis, potata sanabat. Similiter sepulcrum & sacrum corpus Dominus miraculis decorabat. Vnde post annos quatuordecim, Ratbodo episcopus Nouiomensis, tertio Calendas Augusti, sacrum corpus leuauit. Et ad eundem vitæ & martyrij historiam conscripsit Drogo monachus & sacerdos Gestellensis.

*Drogo Tomo quarto Surijs.*

2. *Eo anno vide Meyerum.*

### Die septima Iunij.

#### *De sancto Wilibaldo episcopo.*

*Ex Swidberti historia, inscripta S. Marcellino.*

**I**N Germania, natalis sancti Wilibaldi, episcopi & confessoris. De quo, & fratre Wunebaldo, in historia sancti Swidberti legitur, quod cum alijs Apostolicis viris, quorum dux erat Wilibrordus, ex Anglia ad prædicandam fidem Christi Traiectum appulerit. Vbi aliquamdiu in primitiua Ecclesia Frisiæ, Canonici & prædicatores resederunt. Sed habita synodo decretum fuit, vt prædicatores nonnulli in circumiacentes regiones barbaras mitterentur. Qua occasione uterque missus est in Orientalem Franciam, vbi senior obiit episcopus Aureatensis, siue Eistréten-

sis, multis miraculis clarus, iunior autem abbas Heidenheimensis.

Alij eos referunt ad tempora paulo posteriora, Bonifacij videlicet eorum auunculi: & aliter narrant historiam. Quorum fortassis concordia ab Ecistretensibus dari potest.

Horum autem, & sororis germanæ, sanctæ Walburgis, nonnullæ reliquiarum portiones habentur Furnis in diœcesi Iprensi. Patris autem, regis Richardi vel Riccardi corpus, quiescit Lucæ ad sanctum Frigidianum, vbi Romam adiens obiit, & natalem habet die septima Februarij.

a. *Id est Wilibaldus.*

### Die octaua Iulij.

#### 1<sup>o</sup>. De sancto Grimbaldo confessore.

*Ex Goscelino, Chronicis diui Bertini, & Legenda sanctorum Anglia.*

**V**intoniæ depositio sancti GRIMBALDI abbatis, & monachi Sithiensis cœnobij. Vrbs enim Morinorum, quondam ampla, & antiquis titulis opum & bellorum inclyta, illustrior nunc est confessoris Christi genitura. Siquidem à septenni infantia, suis annis fortior ac prudentior, monasterium præoptauit. Vnde susceptus est, & sancti Samuelis sacrificio sacratus in cœnobiali diui Bertini gremio, sub patrocinio clauigeri Petri. Vbi sacratissimis institutionibus in spem cælestium, in virum perfectum, in gaudium coaluit angelorum. Sed quis omnem virtutum eius seriem percurrat? quàm mellifluus, benignus, amabilis fuerit? quàm ardens cælestibus desiderijs terrena quæquæ transcenderit? vt sacris lectio-

lectionibus & orationibus assiduis inuigilauerit, corpus castigauerit, bellum aëreis potestatibus indixerit, arma totius innocentiae induerit, monasterialis obseruantiae exemplar effulserit: à singulis singula operum beneficia æmulando acceperit? Sacerdotij sui dignitatem autoritate decorabat, humilitate modificabat. Deinde omnium votiua prece rerum monasterij præpositus constituitur, prudentia & facundia clarissimus, æquitate & pietate solidissimus: nihil sibi in terris thesaurizans, sed fratribus, sed ecclesiae, sed egenis & hospitibus administrans, vt animal oculis vndique plenum cuncta prospiciens. Tam benigna verò erant in eo paternae charitatis viscera, vt domesticorum quorùdam mores tolerare maluerit, quàm eos eijcere, commendans Domino tempus dispensationis, qua corrigeret ecclesiam suã. Quod per beati præsulis Adelwoldi instantiã factum esse constat. Fertur autem à Deo exoptulasse, vt camino languoris ante obitum purgaretur. Inter dolores tamen, ob virtutem patientiæ, sanis fortior fuit, iuxta illud Apostoli: Quando infirmor, tunc potens sum. Cùm autem hinc mi- 2. Cor. 12.graturus ad Dominici Corporis salutare viaticum se mouere præ ægritudine non posset, forti tamen nisu, se ipso fortior, sese erexit, & Christo aduenienti in faciem se prostrauit: à fratribus autem petijt solus per triduum relinqui, vt iter suum pararet. Per quod continuum triduum se Deo in contritione cordis, & diluuiio lacrymarum immolabat. Quarto denique die fratribus ad se reuocatis, & in pace commendatis, ad aethereos ciues migravit anno Domini nongentesimo tertio, ætatis suæ octuagesimo tertio. Hactenus

Julij 8.

Cap. 12.

EST NATALES  
ex officio Bertiniensis monasterij quod ex Gotcelino desumptum est. Cæterum quia Gotcelino authore integra historia à nobis visa non est, ex Chronicis Bertinensium adijcio, quæ Ioannes abbas posteritati scriptis commendavit. Hugo, inquit, duodecimus huius loci, regia donatione abbas, filius Caroli magni, frater Ludouici pij, iuuenem elegantissimum beatum Grimbaldum recepit, & induit huius monasterij monachum. Qui qualiter & quantum profecerit testatur eius legenda, quam in Ecclesia Dei canimus. Capite vigesimo subiicit, cum Balduinus Caluus Flandriæ comes pro abbacia sollicitaret Grimbaldum monachum & præpositum, omnium fratrum nomine sollicitasse regem, ut Fulco archiepiscopus in abbatem reassumeretur, eo quod omnes mallent locum deserere, quam pati ut locus sacer sub laica redigeretur potestate. Quod quidem obtentum est. Sed hac de causa non multo post sanctus archiepiscopus Winemari lanceis transfossus est, & Balduinus Flandrensis Caroli simplicis donationem impetrauit. Initium dolorum, huius monasterij. Tunc autem Grimbaldus, metuens res Ecclesiæ per suam præsentiam in deterius deduci, prudenter in Angliam transfretauit: & ibi usque in vitæ finem permansit.

In legenda Sanctorum Angliæ breuiter notatum est, cum literatura & cantu peritum, ab Alfredo rege Westsaxonum constitutum esse abbatem in nouo monasterio Wintoniæ, quod ab euentu Hida vocatur. Vbi omnibus bonis exemplis plenus, abbas & doctor venerabilis, in senectute bona præmia in calis recepit: corpus verò terræ reliquit quod ibi in magna habetur veneratione.

Vitam,



Vitam, cuius exordium est, Vrbs Morinorū, scripsit Gotzelinus, monachus diui Bertini, quem sanctus Anselmus archiepiscopus, alijque multi in Angliam vocarunt, vbi primum habitauit Ramesiæ, deinde Cantuariæ ad sanctum Augustinum; quibus in locis descripsit vitas Sanctorum, Augustini, Laurentij, Suithuni, Gimbaldi, Erkenwaldi, Iuonis, Eadgithæ, Milburgæ & Witeburgæ.

2<sup>o</sup>. *De sancta Landrada virgine.*

*Ex officio Gandensi, & Theodorico abbate, Iulij octauo.*

**M**onasterio Belisia, sanctæ LANDRADÆ virginis. Fuit enim secundum carnem & spiritum nobilissima virgo, ab ineunte ætate Christianam pietatem egregiè percoluit. Pauperibus subsidium, afflictis solatium, clericis & sacerdotibus reuerentiam: omnibus quoad potuit, benignitatem exhibuit. Hinc cum parentes ei amplas procurare nuptias ex more cogitarent, in angustam se domi cellulam abdidit, vbi orationibus & ieiunijs, virginitatem suam Christo immaculatam seruauit. Cumque indies magis proficeret, tandem, reclamantibus etiam parentibus, concupitam in Belisia eremum ingreditur, vt parentes & omnium hominum societatem, atque adeo semetipsam, perfectissimè abnegaret. Ibi paruum tugurium, in quo habitaret, & cum humani generis hoste iam seriò confingeret, manibus ipsa suis extruxit. Postea verò, vbi mirifici operis crux cælitus dilapsa, in lapidem impressionem fecerat, ecclesiam erexit in honorem Dei genitricis Mariæ,

& à Lamberto episcopo consecrationem & reliquiarum impositionem ex voto impetrauit. Vbi dum sanctarum virginum est præfecta collegio, etiam virginem sanctam Amalbergam, doctrina, pietate, & Christianorum morum præceptis imbuuit. Reddidit autem cælesti sponso animam puram, octauo Idus Iulij. Suumque corpus sepeliri voluit in *Winter-houen*, cœnobij sancti Bauonis possessione. Belisenses verò sibi ipsum seruare voluerunt: quia apud eas consecrata fuerat & velata, quodque inibi per eam puellaris adoleuerat turba, ecclesia opibus creuerat, cæci denique illuminati erant, & claudi erecti. Itaque illi, etsi Lamberto præfule renitente, Belisiam sanctam Landradam sepelierunt: sed paulò post eodem admonente, tumbam aperuerunt, & corpus cum loculo ad *Winter-houen* translatum esse ministerio proculdubio Angelico agnouerunt. Ad locum autè Angelicæ sepulturæ copiosissimè effluxit diuini muneris stillicidium. Descendens enim ad hanc probaticam piscinam cæcus, febre æstuans, hydrope sitibundus, aut quocunque incommodo anxius, statim quod petiuit accepit. Eleuatum est autem corpus paulò post, Nonis Martij: ac deinde anno nongentesimo octuagesimo, cum beati Landoaldi, & Adriani martyris & sociorum sacris reliquijs ad diui Bauonis ecclesiam Gandauum est translatum. Porro Belisense monasterium hodie est Canonicarum, extra ciuitatem Belisiam, in territorio Leodiensi: Estque adhuc nomine tenus monasterium. Dicitur enim vernaculo idiomate *Monster* vel *Münster Bilsen*.

Afferunt autem nonnulli Landradam hanc fuisse Caroli Martelli filiam. Quos æquiuocatio fefellit. Landrada enim

enim illa maritata fuit, eiusque memoria celebratur in vita filij sui, Grodegandi, episcopi Metensis.

### Die nona Iunij.

### De sancto Agilolpho martyre, episcopo Coloniensi.

*Ex diuersis.*

**C**olonix natalis & translatio S. AGILOLPHI, eiusdem vrbs archiepiscopi & martyris. Hic Ioppiliam venisse scribitur ad ægotantem Pipinum principem, multumque adlaborasse, nè hæredem scriberet Carolum Martellum, ex Alpaida pellice genitum. Quod tamen impetrare non potuit. Deinde passus est martyrimum in pago Arduennensi Amblauæ, qui locus à præterfluentis fluminis nomine sic vocatur: & in ecclesia S. Laurentij, Malmundariensi monasterio contigua, sepultus est, & varijs claruit miraculis. De ipso scriptum est Malmundarij in libro miraculorum sancti Quirini martyris: *Nobili stirpe editus, Anglino loci huius abbati, à parentibus est traditus, sub institutione monachi regulariter informandus. Qui patris spiritualis preceptores imitatus, eiusdem in voluntate Dei successor est factus: dein sedi Coloniensi antistes datus, abbatis etiam non deposuit onus, donec utrumque strenuissimè gubernando, propter fidem regni, apud Amblauam coronatus est martyrio, atque apud nos, ubi abbatis nomine præfuerat & opere, usque dum Deus voluit, locum habuit sepulturae.* Chronicon verò vulgatum Coloniense habet occisum esse ab hostibus, dum causa pacis à Martello ad Saxones mitteretur: quodque à Brunone, qui frater erat Othonis Imperatoris,

*In vita S. Switberti, capite 25. Cal. Martij.*

*In lib. Malmundarij manu scripto.*

Julij 9.

NATALES

Lib. 2. *vita*  
*Bonifacij.*

Lib. 1. c. 17.  
die 4. *De-*  
*sembriis.*

*Historia B.*  
*Popponis c.*  
29. die 25.  
*Januarij.*

Imperatoris, Coloniam ad gradus sit delatus. Sed ego eadem episcopi ad tempora filij aut nepotum, qui etiam contra Saxones bellauerunt, referre non dubito; eo quod literæ Zachariæ, qui mortuo Martello factus est pontifex, de legato Bonifacio recipiendo ad eum etiam dirigantur. Deinde historia sancti Annonis, cui multum est tribuendum, testatur sancti Agilolphi corpus ex Malmundario auectum esse Coloniam per sanctum Annonem, vbi id reposuit in monasterio suo ad Gradus. Est autem Malmundarium secunda sancti Remacli abbatia, à Stabulensi dependens, olim diœcesis Coloniensis: sed nunc, nisi fallor, Leodiensis territorij, quo ad vtramque iurisdictionem. Dum enim beatus Poppo his præesset, stabilivit perpetua lege, vt Malmundarienses professionis suæ sponsonem apud Stabulenses facerent. Natalis incidit in vltimum diem Martij: sed à Coloniensibus simul cum translatione recolitur die nona Julij: eo quod in fine Martij ecclesia semper occupetur officio Quadragesimæ, aut passionis vel resurrectionis Domini.

Decima die Julij.

1<sup>o</sup>. De S. Amalberga virgine Tamisiensi.

**I**N portu Gandauo, in monte Blandinio, sanctissimæ virginis Christi AMALBERGÆ. Hæc virgo ex Arduenna, consilio sancti Willibrordi, Belisiam venit instruenda; vbi sanctissima Landrada præerat monasterio quod extruxerat. Brachij eius os confregisse putatur Carolus Martellus princeps, vt eam sibi raperet sponsam. Quam etiam planè cepisset vxorem, nisi pudicitia virginalis

virginalis de eo triumphans, penitus obstitisset. Migravit ad Dominum anno septingentesimo septuagesimo secundo aut circiter, sexto Idus Iulij, sepulta in Tempseca iuris sui villa ad Scaldim: vbi ostenditur eius sepulcrum: sed corpus virgineum Balduinus Ferreus Gandauum<sup>a</sup> transtulit, ad Blandiniense sancti Petri monasterium: vbi \* coniunctum est reliquijs sancti Bertulphi. *\*Vita sancti Bertulphi cap. 35. to. 1. Surij.* Massæus scribit ciues Gandauenses vnâ cum Wilhelmo episcopo Tornacensi diem festum sibi instituisse, anno millesimo trecentesimo trigesimo primo.

Sed Blandinij frequentior est eius memoria, Vnde in Martyrologio legitur, Sexto Calendas Nouembris, in Blandinio, aduentus corporis sanctissimæ virginis Christi Amelbergæ. Kalendis Maij, in Blandinio monasterio, translatio corporis sanctissimæ Amelbergæ virginis. Decimo tertio Calendas Iunij, in Blandinio, translatio corporum sanctorum Gudunali, Bertulphi, cum reliquijs sanctæ virginis Amelbergæ.

In picturis in manu gestat pedum instar abbatissæ, vel palmam ceu virgo: sub pedibus piscem habet, vulgo sturionem dictum, quem alij acipenserem vocant. His enim piscibus nauem comitantibus, fertur corpus eius diuino nutu, aduerso flumine vectum esse.

a Anno 870.

## 2<sup>o</sup>. De sancta Amalberga vidua.

Ex monumentis Lobienſium, & Binchiensium.

**L**AUBIJS, sanctæ AMALBERGÆ viduæ. Pro quo Binchij Canonici Lobienſes legunt. Laubaco cœnobio, depositio sanctæ Amalbergæ electæ. Hæc autem sancta vidua seu continens, illustrissimis exorta natalibus, Sanctas oppidum,

iana

*Hierony.  
apologetico  
2. contra  
Ruffinum.*

*2. Cor. 3.*

*Psal. 23.*

iam parentibus orbata, usque ad assumptam religionis beatitudinem iure hæreditario possedit. Cumque diabolus castitatis inimicus, puellarem continentiam non ferret, cognatos & affines (quos historiae scriptor vulgari nomine parentes nominat) ut eam matrimonio iungerent, instigavit. Nominatur ergo maritus & à Pipino patre sanctæ Gertrudis, Witgero præpotenti in Lotharingia principi coniunx traditur. Dedit autem eis Deus sanctissimam sobolem, Ablebertum sanctæ Cameracensis ecclesiæ pastorem beatissimum; & Deo dicatas virgines, beatam Raineldem, quæ Sanctis passa est; atque sanctam Gudilam, natu minimam. Hanc autem Angelica admonitione beatæ Gertrudi obtulerunt salutari lauacro suscipiendam, & in Christo verbi Dei lacte enutriendam. Placuit tum etiam patri ac matri sæculum deferere, quo Christo liberius militarent. Nam Witgerus monasticæ regulæ disciplinæ se Lobijs subdidit. Vxor verò sancta Amalberga sacrum velamen suscepit ab Auberto episcopo Cameracensi, & se totam Deo dedicavit in Malbodio. Cumque indies magis ac magis ieiunijs & precibus carnem domaret, spiritum roboraret, Deo disponente febre correpta est. Sentiens itaque diem vocationis suæ adesse, usque ad supremum spiritum hunc versiculum susurrabat; Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Tanta autem dignitas eius ora post obitum compleuerat, ut cunctis liquidè claresceret, quia ærumnas, beatitudine; labores, requie commutauerat. Verùm quia tunc temporis Malbodij nulla spectabilium personarum sepulturæ tradita fuerat, sed neque beata Aldegundis, quæ locum  
à fun-

fundamentis exstruxerat, communi consilio beatissimum corpus Lobium delatum est cum canticis & hymnis: vbi sub iugo regulæ S. Benedicti, sanctitas & religio multum florebat. Abbas autem & fratres exceptum corpus decenter sepelierunt in ecclesia Dei genitricis. Ibiq̄ue in meriti eius testimonium, ad tumulum, per Dei gratiam, multa edita sunt curationum miracula. Ipsum autem sepulcrum visitur vsque in hodiernum diē, vnde tamen eleuata est, & tandem cum reliquis Sanctis, Binchium translata. Vtroque loco festiuitas eius agitur decimo die Iulij.

¶ Sunt qui eam asserant bis fuisse maritatam, ex posteriore coniuge Vuitgero suscepisse tres iam dictas proles sanctas: ex priore verò marito similiter tres, Gengulphum martyrem, Venantium martyrem, & sanctam Pharaïldem. Verùm huius coniugij nullum apparet vestigium in historijs Gengulphi, Venantij & Amelbergæ: Imo Binchiensis ecclesiæ historia, cuius compendium posui, planè contrarium habet, eam nempe parentum orbatam solatio, adhuc teneram ætate, nec puellares iocos nec quælibet lubrica curasse. Hinc inimicum castitatis diabolum puellarem admiratum continentiam; ad eius matrimonium paretes (hoc est, consanguineos) instigasse. Cui renitenti maritum denominarunt Vuitgerum.

Alij vnicum agnoscunt cum Vuitgero coniugium, & ex eo sanctas proles quinque\* Ablebertum, Reineldem, Pharaïldem, Ermelendem & Gudilam. Sed vt de tribus omnes consentiunt, sic de sanctis Pharaïlde & Ermelende à multis contradicitur, & nominatim ab ijsecclesijs, in quibus hæ virgines requiescunt. Rursus sanctam Amalbergam Binchiensis ecclesia nominat sororem Pipini primi: aliqui sororis filiam asserunt, & vtramque Amalbergam nuncupant. Sed cum Nordmannorum grauissima persecutio multas Sanctorum scriptas historias, iusto Dei iudicio, deleuerit: mirum non est, si in minutioribus discrepent, qui eas post dictam persecutionem vndequaque colligere sunt conati. Verùm hæc latius prosequi non est præsentis loci. Satis sit igitur Lectorem admonuisse, vt huiusmodi

\* Hic in hist. Pharaïl. vocatur Emebertus. Vide 4, 8, 15 Ian. 16 Iulij.

In hist. ss. Amelberga et Reineld.

huiusmodi benignè legat, & pari humanitate, prout poterit, dijudicet. Historiam quæ brevis est, edidit Surius ad decimam diem Iulij.

3<sup>o</sup>. De sancto Ettore episcopo.

Gallicè S. Ze.

*Ex historia Læijs, Louanij, & alibi manu-scripta.*

**F**isciaci, natale sancti ETTONIS episcopi & confessoris. De cuius gestis quædam, prout scripta sunt, simplici narratione proferemus, eo quod historia eius exactè ad posteritatem non peruenerit. Erant igitur septem fratres vno spiritu & fide in Christo concordés, licet non de omnibus simus certi, vtrum fuerint carnali natiuitate germani. Qui cum beato Madelgario ex Hybernia orationis gratia Romam inerunt ad limina Apostolorum, & inde cœlitus admoniti, in Gallias commigrarunt. Beatus Foillanus episcopus cum beato Vlrano, Fossas: sanctus Furseus cum sancto Adelgiso, Peronam: beatus Eloquius cum sancto Algiso, in Theoracensem pagum inter Helpram & Iseram. Gloriosus verò sacerdos Domini Etto, bonorum ætatum dignus præconio, ad lacum Corbriolo adiacentem: vbi superatis quibusdam molestijs, quas ei Ioninus fundi dominus, inferebat, monasterium construxit, quod Donum Petri nuncupatur: in quo Dei seruos suorum redituum largiflua benedictione solabantur, quos ille verbi Dei semine reficiebat. Confirmatis autem in fide Christi discipulis, mundo crucifixus & redemptori viuens, tempore à se præcognito cursum consummauit. Cuius anima ab Angelis in cælum est euecta, corpus autem terræ inhumatum assidue



quæ fulget virtutibus curationum. Est autem in confinio vrbis Attrebatibus *Baym* villare, ecclesiam habens in memoriam beati Ettonis. Dum autem Hellinus, vir illustris, aliam ædificaret, inuenit cum Analfrido presbytero, quem sanctus Etto à ferreis compedibus eduxerat, in prioris ecclesiæ muro duo breuia. In quorum vno legi, inquit appendicis huius narrator: In hoc loco Hybernensium episcopus Ettho mansionem habuit. In altero: Hic reposuit Ettho Hybernensis episcopus de corpore sancti Clementis papæ & martyris. Absurdum est itaque præsulatus honore eum negare sublimatum, quem & hic legimus episcopum, & in gestis sacerdotem nouimus appellari, quod nomen solis pontificibus solet assignari. Huius beati viri meminit etiam Sigebertus Chronographus Gemblacensis. Multi, inquit, de Anglia vel Scotia, in Gallijs peregrinantes verbum Dei disseminabant, multumque fructum Deo faciebant, scilicet Etto, Bertuinus, Eloquius. Meminit quoque historicus Cameracensis libro secundo ad Gerardum primum. In villa, inquit, Fescan vbi sanctus Hetto Scotus piè conuersatus in Domino quieuit, monasterium est Canonice congregationis.

*Ex append.  
historia.*

*Anno 651.*

Cæterum cum Carolus quintus & Henricus Gallus atrocissimo bello inter se dissiderent, Ludouicus Blosius Lætiarum abbas, corpus beati Ettonis ex Dono-Petri Montes ad ædes Lætienses deferri curauit, nè in manus hostium deueniret. Impetrauit etiam à Iulio tertio translationem sacri corporis de feretro in aliud, & de Dono-Petri ad Lætiense monasterium. Quod Paulus quartus successor, nondum perfectum, ratum habuit

*Ex descri-  
p-tione  
translationis.*

habuit, & diplomate confirmavit. Vnde Martinus Cuperus, episcopus Chalcedonensis, anno quinquagesimo sexto, die vigesima quarta Iulij, coram ecclesiasticis & sæcularibus testibus, corpus in aliud feretrum collocauit, & die sequenti Lætiæ est transuectum. Remanet autem Donum Petri filia ecclesiæ Fisciacensis & Prioratus Lætiensis, quamuis ibi nullus monachus, sed sacerdos sæcularis, vt loquimur, commoretur.

4<sup>o</sup>. De S. Canuto, rege & protomartyre Danorum.

*Ex Breviario Roschildensi.*

**I**N ciuitate Ottoniensi, sancti Kanuti regis & protomartyris Danorum, qui anno millesimo octuagesimo sexto, pro zelo Christianæ religionis à Blacco suo familiari, in basilica sancti Albani martyris ante altare, manibus solotenus expansis in modum crucis, in latere est lanceatus, & feria sexta mortem pro Christo passus. Occisi sunt cum eo Benedictus frater, & alij septendecim commilitones. Porrò regina nobilissima Ethla corpus deliberavit ad natiuos terminos secum deducere: sed ostensa indicia hoc non sinebant. Et hæc ex officio ecclesiæ Roschildensis. Reliquum verò historiæ apud Saxonem legatur. Nos memoriam eius recensemus hoc loco, quia Ethlam, quam nos Adalam dicimus, filiam Roberti Frisij, Comitis Flandriæ, vxorem habuit. Ex qua genuit Carolum cognomento Danum & bonum, Comitem & martyrem Flandriæ.

5. De

5<sup>o</sup>. De obitu fratris Pacifici.

Ex sancto Bonauentura, capite quarto Vita sancti  
Francisci, & monumentis monasteriorum tempore  
Pacifici fundatorum.

Vide & cap.  
6. & Com-  
mentarium  
Henrici Se-  
dulij ad §.  
7. sexti cap.

**L**ensij, in Arthesia, obitus fratris Pacifici, qui ante conuersionem erat sæcularium cantionum curiosus inuentor, ab Imperatore coronatus, & inde rex versuum dictus. Sed cum in castro sancti Seuerini, beatum Franciscum & prædicantem & in modum crucis signatum reperisset, sæcularibus pompis omnino contentis, beato patri professione adhæsit. Propter quod videns eum vir sanctus ab inquietudine sæculi perfectè ad Christi pacem conuersum, fratrem Pacificum appellauit. Hic postmodum in omni sanctitate proficiens, primus in Francia Ministerij gessit officium. Per quem inibi multi conuentus sunt erecti, inter quos Lensensis, Atrebatensis, & Valencenensis. Cuius postremi initium multa virorum nobilitate fuit decoratum. Fuit verò inter eos nobilissimus Iudocus de Maternes, ante conuersionem gubernator Montensis, qui cognatum suum ad eundem Ordinem trahens, fundatorem vidit cœnobij Gandensis. Obijt autem Pacificus Lensij siue Lendij, vbi in suburbio tenue est, sed peruetustum, atque primum harum regionum cœnobium Franciscanorum. In cuius ecclesia extra chorum vetustissimũ cœni ur monumentum, cum huiusmodi inscriptione *sub hoc lapide recondita seruantur, ossa sacra beati Pacifici, Ordinis Minorum, qui ipse primus fuit prouincie Francia Minister.*

T

Die

## Die vndecima Iulij.

*De sancto Hidulpho, episcopo Treuero.**Ex gestis Treuironum.*

**I**N saltu parochiæ Tullensis, qui dicitur Vosagus, natalis sancti Hidulphi episcopi Treuironum, confessoris egregij. Quem claro Neruorum genere ortum, in *Regenesburch* autem enutritum, Pipinus rex suggestione cleri & plebis Treuiris constituit episcopum. Post aliquot autem annos, cum tribus sanctis monachis Spinulo, Ioanne & Benigno, in Vosagum secessit: vbi cum eis quos in miraculis cooperatores habuit, gustauit quàm suavis sit Dominus.

Hæc obiter hîc annotauimus, quia dicitur ex Neruijs ortus, quos nunc dicimus Tornacenses. Officium autem ecclesiasticum conscripsit de eo sanctus Bruno Tullensis, postea dictus Leo nonus, Romanus pontifex. Similiter sanctus præsul Basinus, cuius natalis est quarto Nonas Martij, asseritur oriundus non ex tam nobili quàm felici Ducum Lothringiæ progenie, auunculus sancti Lutwini sui successoris. Sed an vterque vel alteruter fuerit ex ea parte Lotharingiæ, quæ nunc cum Belgio censetur, an ex alia, nusquam expressum legi.

## Die decima tertia Iulij.

*1<sup>o</sup> De reliquijs S. Mildradæ Dauentriæ.**Ex legenda sanctorum Angliæ, & Martyrologio Vltraiektensi.**Sine Cantuaris.*

**I**N Cantia, sanctæ Mildradæ virginis, in Dauentriam translata. Quam Dompneua mater sacris studijs imbuendam, vltra mare misit ad Calum monasterium. Vbi successu temporis abbatisiæ propinquus virginem adamauit, & ad nuptias

ptias cooperante abbatissa concitauit. Virgo autem supra firmam petram fundata, respondit abbatissæ: *Quomodo doctrix castimonie & dux virginum, ad corruptionem me allicis? Mater me huc ad scholas direxit, non ad nuptias: pudicitie hic documentum quaesui, non maritum: ad virtutum instructionem veni, non ad matrimonium.* Stupenda autem sunt quæ ob hanc constantiam illata pertulit probra & supplicia. Reuersa autem domum, cum virginibus septuaginta in Thameto habitum religionis suscepit à Theodoro archiepiscopo, & consensu matris abbatissa consecrata est: & in ea congregatione plena virtutibus ad Dominum migravit, & cum magno honore est sepulta. Monasterium autem Dani piratæ conbuserunt. Vnde postea reliquie translatae sunt Canturiam ad monachos sancti Augustini, vel vt Canonici asserunt, ad suam diui Gregorij ecclesiam. Fortassis vtraque ecclesia reliquias habet. Sed & portionem aliquam inde Dauentriensibus allatam esse, testantur supra-dicta verba Martyrologij Ultraiectensis.

## 2<sup>o</sup>. De sancto Henrico Imperatore.

*Ex diuersarum ecclesiarum munimentis.*

**B**Abenbergæ; natalis sancti Henrici secundi; Romanorum Imperatoris & confessoris. Cuius hoc loco facienda est mentio quoad Belgica. In primis fundauit extra muros Aquisgranenses collegium Canonorum sancti Adelberti episcopi & recentis martyris, quod nunc muris intra urbem adiacet. Spe, ait, diuinæ remunerationis, pro remedio animæ nostræ, coniugisque nostræ dilectæ Cunigundæ Imperatricis Augustæ, nec non parentum nostrorum, tum etiam pro

*In litteris ecclesiæ.*

confirmando sub diuina protectione regni nostri statu, ecclesiam in honore sancti Adelberti episcopi & martyris in monte contermino sedi nostrae Aquensia nobis fundatam, omni libertate donamus, &c. Huius foundationis nulla sit mentio in officio sancti Henrici excuso, sed tantum legitur, Iter faciens per Leodium & Treuerim, congregationes inibi se eo famulantes plurimis largitionibus & praedijs ditauit.

Apud Hedam Praepositum charta tres extant, in quibus deprecante Ausfrido episcopo, & dilecta coniuge Cunigunda interueniente, priuilegia de seruis & liberis Traiectensis ecclesiae: de hominibus ceram ad praedictam ecclesiam per annos singulos soluentibus: de rebus presbyterorum aduenarum: de iurisdictione in Bomela & in Arclo: & de venatione per Comitatum Thrente, partim confirmauit, partim donauit. Ausfrido in episcopatu Traiectensi successit Adelboldus, magnae apud Henricum auctoritatis. Sub quo dictus Imperator cum multis Episcopis, Comitibus, & regni fidelibus interfuit dedicationi nouae ecclesiae sancti Martini, cui Comitatum Trentiae donauit. Adfuit etiam quando ministeriales vassi, siue, vassalli, ecclesiae & episcopo Traiectensi in generali synodo homagium ac fidelitatem praestiterunt, feuda sua recipientes. Inter quos memorantur, Dux Brabantiae, dapifer: Comes Geldriae, venator: Comes Hollandiae, marscalcus: Comes Cliuensis, camerarius: Comes de Benthem, ianitor: dominus de Cuycke, pincerna: & dominus de Ghoer, signifer.

3<sup>o</sup>. Dominica die post decimam tertiam  
Iulij. De Sacramento Corporis  
Christi Bruxella.

*Ex libro miraculorum Corporis Christi, Colonia excuso.*

**B**Ruxellæ, festiuitas Sacramenti CORPO-  
RIS CHRISTI multis miraculis clari. Iu-  
dæi enim eo loci habitantes, anno millesimo 369.  
decim circiter sacras hostias (quarum vna erat  
maioris formæ) in die sanctæ Parasceues crudeli-  
ter transfixerunt. Vnde insigni miraculo tanquam  
guttæ sanguinis apparuerunt, pro-ut nostris e-  
tiam temporibus cunctis ad sanctam Gudilam  
cernere licet, vbi tres ex eis asseruantur. Et Iudæo-  
rum quidem sacrilegium Wenceslaus Dux ignis  
supplicio puniuit: ipsum verò Sacramentum, tam  
indignè tractatum, postmodum plurimis miracu-  
lis claruit. Quorum quædam ex Notariorum pu-  
blicis instrumentis excusa extant\*. Meritò autem  
Bruxellensis ecclesia hoc Sacramentum multis  
miraculis glorificatum, in festo Corporis Christi  
circumferre solet. Quod <sup>a</sup> ante centum & septua-  
ginta annos ex consuetudine obseruatum fuisse,  
testatur informatio, episcopi iussu ante tot an-  
nos <sup>b</sup> confecta. Sed postea peculiariter instituta  
est solennis & magnifica supplicatio annuè faci-  
enda die Dominica post decimam tertiam Iulij,  
qua Bruxellæ celebratur sancta Margarita. Hanc  
enim solennitatem ad honorem Corporis Christi  
instituit domina Margarita Austriaca, filia Maxi-  
miliani, quæ anno trigesimo supra sesquimillesi-  
mum Mechliniæ <sup>c</sup> obiit, Belgarum moderatrix  
laudatissima.

\* Latine,  
interprete  
Alardo Am-  
stelredamo.

- a. Anno Christi 1402.  
 b. Est edita Colonia in 8. Anno Domini 1532. per F. Theodoricum Loer à Stratis, Carthusianum. Vbi sunt & illa qua Alardus vertit.  
 c. 1. Decemb.

## Die decima quarta Iulij.

1<sup>o</sup>. De sancto Vincētio Comite Hānoniæ.  
 Ex gestis ipsius, & primorum Hannoniæ prædicatorum.

**S** Onegijs, depositio beati VINCENTII confessoris Christi. Qui fuit Hannoniæ Comes, antea Madalgarius dictus, inter palatinos regis Francorum Dagoberti non infimus. Habuit enim uxorem, consanguineam regis, beatissimam Waldetrudem: ipsumque rex habuit ad annos aliquot Hyberniæ gubernatorem. Vnde postea in Gallias rediens, sanctissimos & strenuos fidei prædicatores secum adduxit. Inter quos sancti viri memorantur, Foillanus, Furseus, Ultanus, Eloquius, Etto, & Adalgisus. Autbertum episcopum miro humilitatis affectu coluit, qui eum adeo superni amoris favore accendit, vt deposito cingulo militiae sæcularis, totum se ad cultum diuinum astrinxerit. Vnde ad Sambram, in municipio quod Mons-altus dicitur, monasterium construxit, quod vnico miliari à Malbodio distat, vbi monastico habitu suscepto, sub sanctæ conuersationis regula sese humiliter reclusit. Erat enim, seruata charitate, separatus ab uxore sua Waldetrude, quæ in Castri-loco sanctimonialium monasterium construxit. Tunc autem permulti sanctitate & religionis zelo illustres hunc montem vocabulo & religione



religione altum frequentarunt, de animarum salute loquentes. Exprimit autem historiæ scriptor Ansbertum Rothomagensem episcopum exilio proscriptum, Hugonem abbatem Gemeticensem, Wlmarum abbatem Boloniensis monasterij, Ettonem Britannum sacerdotem, Amandum ex Elnone, Wanulphum ex Condato, Gissenum ex Cellensi monasterio, Vrsmarum & Erminum ex Laubaco, Foïllanum & Vltanum ex Fossensi monasterio, Aldegundem ex vicino Malbodio, Waldetrudem ex Castriloco, Gertrudem ex Niuella, illuc aduentantes. Postea construxit etiam Sonegias cœnobium, in quo obdormiuit & requiescit. Et hæc sunt quæ antiquitas ad nos transmisit, non in vna, sed in pluribus Sanctorum historijs. Est autem Sonegia oppidum Hannoniæ, in quo monasterij loco, quod Nordmanni vastarunt, est illustre Canonicorum collegium: quæ commutatio, secundum annales Hannoniæ, facta est per Brunonem archiepiscopum Colonensem, anno nongentesimo sexagesimo quinto. Natalem eius etiam Cameracensis ecclesia, cui tota ferè Hannonia subest, meritò nouem lectionibus celebrat. De secundarijs festis sunt verba Calendarij Sonegiensis: Duodecimo Calendas Octobris, Translatio beati Vincentij. Quarto Calendas Nouembris. Eodem die translatio secunda beati Vincentij confessoris.

2<sup>o</sup>. *De sancto Dentlino, eius filio.*

*Ex officio Ressenſi, reſcripto domini Decani Ressenſis, & Montensium obseruatione.*

**R**Essæ, in Cliuia, sancti DENTLINI confessoris. Is filius iam dicti sancti Vincentij Comitis

mitis Hannoniæ & sanctæ Waldetrudis, fertur puer septem annorum in albis mortuus. Cuius natalis nusquam, quod sciam, apud Hannonos celebratur. Canonicæ tamen sanctæ Waldetrudis inuocant eum in Litanijis. Sed longè celebrior est apud Canonicos Reesensis oppidi in Cliuia, qui annuè eum celebrant ad diem decimam quartam Iulij: & hebdomadatim ferijs secundis & quartis non impeditis. Embricæ præterea parochia sanctæ Aldegundis celebrat eum in choro, die decima sexta Martij. Porro Matutinæ lectiones cleri Reesensis merita eius occultis Dei iudicijs committunt, & magis versantur in laude parentum. Sequentia tamen inde desumpta ipsum concernunt: *Postremò verò genuit sanctus Vincentius sanctum Dentlinum, patronum nostrum gloriosum. Qui in Christo renatus, infans migravit ad Dominum. Et de eo impletur sermo Dominicus, Sinite paruulos venire ad me: talium est enim regnum calorum. Et quod Propheta dicit: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. In huius enim mundi procellarum fluctibus diu quassari nequaquam est permissus, ut de eo verè dicatur; Raptus est, nè malitia mutaret intellectum eius, aut fictio deciperet animam eius. Placita enim erat Deo anima illius: propterea properauit eum Deus educere de medio iniquitatum. Et infra. Sepultus est sanctus Dentlinus honorificè in cœnobio Sonegiensi, iuxta beatum Vincentium genitorem suum, in locello auro & argento ac lapidibus pretiosis intexto. Quod cœnobium ipse sanctus Vincentius eleganti satis construxit opere, & stipendijs ac possessionibus magnificè exornauit. Hæc Reesenses. Arbitror autem beatum Dentlinum in simplici illo saculo non habuisse tam pretiosum locellum sub terra. Quare per sepulturam, quietem intelligo*  
in phe-

Math. 19.

Psal 8.

Math. 21.

Sapient. 4.

in pheretro. Quanquam sciam tunc quosdam in purpura sepultos esse. Vnde autem Reesensibus patronus obtigerit, & an eius reliquias habeant, præsentibus Canonici quia ignorant, affirmare non possunt, nisi thecas reliquiarum diligentius perlustrent.

3<sup>o</sup>. *De sancto martyre Liberto.*

*Ex officio & informatione Mechliniensium, & Trudonensium.*

**E**odem die in Hasbania, passio & inuentio sancti LIBERTI martyris, vita & meritis gloriosi. Qui Mechliniæ natus est precibus sancti Rumoldi, ex parentibus qui consenuerant, quorum nomina erant Ado Comes, & Eliza. Estque à prædicto episcopo baptizatus, & à morte post submersionem suscitatus, in propinquo etiam loco, qui ab vlmorum copia nomen accepit, cœnobiticæ vitæ cœtui Præpositus. Sed Dani & Nordmanni eius tempestate vastabant Gallias, & in eis Lotharingiã siue Lothariense regnum, cuius portio erat nostra Brabantia. Imo Regino Prumiensis abbas eiusdem ferè temporis chronographus scribit, anno octingentesimo octuagesimo quarto, Nordmannos in regno Lotharij castra & sedes statuisse, in loco qui dicitur Loue, regnumq; continuis incurSIONIBUS fatigasse: indeque Parisios recessisse anno octuagesimo septimo. Euerfa est ab ijs Mechlinia, quatuor miliaribus distans à Louanio, & Libertus profugus in Hasbaniam, ab iisdem ob Christum occisus est ante altare diui Trudonis, vbi flexis genibus Dominum deprecabatur. Corpus terræ infixum fuit in vrna lapidea,

quæ etiam hodie conspicitur. Sed post annum millesimum ceterimum sub Wirico abbate inuentum, in loculum translatum est, & in altari sancti Trudonis cū corpore alterius cum eo trucidati asseruatur. Adonis autem memoriã conseruant Mechliniæ, vicus, forum & porta ciuitatis, quæ ab ipsius domo ac habitatione nomen retinent.

4<sup>o</sup>. *De sancto Marcelmo confessore.*

*Ex gestis Switberti, & Ludgeri, nec non ex Chronico Becani.*

**D**Auentriæ, sancti MARCELM I presbyteri & confessoris, qui etiam Marcellinus dicitur. Fuit autem inter duodecim primos Frisiæ & Hollandiæ prædicatores non indiligens. Nam in vita Switberti testatur de seipso; quod sexaginta quinque annos pro modulo suo indefinenter prædicationibus & conuersionibus gentium insudarit, in partibus Trans-iselanis, Trenta Twer-ta, *Ouden-seel*, & Dauentria, vbi Dei prouidentia totum ferè populum Christo lucratus est. Sanctus item Ludgerus in initio epistolę quam de sancti Switberti canonizatione scripsit, beatum Marcellinum nominat excellentem gentilium prædicatorem, sacerdotem magnarum virtutum, & prophetici spiritus plenum: asseritque eum ultra septuaginta annos Christi Euangelium feruenter Frisonibus prædicasse, & magnam Frisiæ partem conuertisse. Subdit præterea ipsum ob decrepitam ætatem ex Frisia ad Traiectensem conuentum reuocatum esse per sanctum Gregorium suum episcopum: sed cū multi in *Alden-seel* & confinibus locis, neglectis fidei sacramentis, ad erratica idolorum phana veluti ad vomitum redirent,

dirent, ad eos corrigendos ab incolis Christianis repetitum, iterumque à suo præfule ad eos directum esse. Quos sua fructifera prædicatione ad viam veritatis denuo reuocauit, adhibitis Gerardo, Ouone, Adalgero, aliisque collegis. Cùm autem, tendens in *Alden-seel*, curram ascenderet, ante portas monasterij Traiectensis, duos sanauit squalida lepra infectos, qui ligneo crepitaculo eleëmofynas petebant.

Werdenenses in sancti Ludgeri historia vocant eum Marchelinum, Anglum natione, sancti quondam Willibrordi discipulum, virum miræ sanctitatis, qui Ludgero somnium suum de tribus aceruis interpretatus est significare trium gubernacula plebium, quibus pastoralis sollicitudine præerit; eminentem verò locum, episcopatum quem adepturus est ostendere.

Requieuit autem plenus dierum & virtutum apud dictos Oudenzelenses, sed translatus est Dauentriam ad eam ecclesiam, quæ nunc est cathedralis.

5<sup>o</sup>. *De sancta Ragenusla in Aij-curia.*

*Ex officio quo per Octauas veniunt Canonici Aij-curien-  
enses, qui Louanij resident in basilica sancti Iacobi.*

**I**N Aij-curia natalis sanctæ RAGENUSLÆ virginis. Quæ temporibus Dagoberti orta est in Brumbazia Hasbania villa, ex parentibus genere inclytis, & religione Christianis Quorum nomina fuerunt Aius & Aia, vt nonnullorum fidelium asserunt testimonia, Vnde Aij-curtis nomen remanet. Porro filia à tenera ætate senilia exsequebatur opera. Vigebant enim in ea affabilitas,

litas, temperantia, iustitia, longanimitas, eleemo-  
 syna, abstinentia, patientia, humilitas, mansuetu-  
 do, pietas. Erat charitate, non ficta, fide robusta,  
 stabilis spe. Quam cum Ebroinus adolescens ad  
 connubium postularer, & parentes nolentem vr-  
 gerent, diemque nuptiarum præscriberent, illa  
 Christi sponsi sui amore languens, in eodem pro-  
 posito prævias cognatas suas sanctas Aldegundem  
 & Gertrudem sequi voluit. Vnde instante die nu-  
 ptiarum, cum vna ancillula ad vicinæ silvæ lati-  
 bula confugit, optimam cum Maria partem eli-  
 gens. Cæterum fidele eius propositum Deus  
 compendioso remuneratus est sine, nolens eam  
 diu pondus diei & æstus tolerate. Paulo enim  
 post, quæ Angelorum studuerat vitam imitari, eo-  
 rundem ministerio ad cælestem subuecta est para-  
 disum. Mox autem parentes omnibus cognitis,  
 de commissa in eam iniuria, pœnitentiam ege-  
 runt, & membra honestè tumularunt: & processu  
 temporis super tumbam eius ecclesiam suis ædifi-  
 cauerunt stipendijs. Quo in loco cuius meriti re-  
 posita habeantur ipsa, frequentibus miraculis  
 ostendit diuinitatis clementia. Et hætenus ex pro-  
 priæ ecclesiæ officio. Potro Sigebertus Gembla-  
 censis chronographus memoriam eius celebrat ad  
 annum sexcentessimum quadragesimum tertium:  
*Virgo, inquit, Dei Ragenusla, sanctitate claret in Gallia.*  
 Requiescit verò virgineum corpusculum Aij-  
 curiæ in Gallica Brabantia, sed Canoniorum colle-  
 gium inde translatum est Louanium ad sancti Ia-  
 cobi Basilicam, anno millesimo quadringentesi-  
 mo, quinquagesimo quarto. Teutones vocant  
 eam *sinte Rainoffele i' Eincourt.*  
 Habet autem Ragenusla in Aij-curia fontem,  
 vnde

Ex relato  
 Decani D.  
 Jacobi.

vnde hydropici & alij languentes sæpius remedium acceperunt. Pridie porrò annuæ processionis in festis Pentecostes incolæ feretrum ad fontem dictum deferunt, & aquas illas vt plus efficaciæ merito Ragenuffæ habeant, attactu feretri auita cerimonia sanctificant.

6<sup>o</sup>. De sancto Basino rege & martyre.

*Ex historia manu-scripta, & pleniori informatione per Pastorem & Sacristam Truncinij.*

**I**N Truncinio, passio beati **BASINI** regis & martyris. Qui, vt patres nostri veridicè nobis narratione, vt credimus, narrauerunt, exstitit fundator ecclesiæ sanctæ Mariæ in Truncinio, & duarum capellarum sanctorum Petri & Iohannis. Cùm autem Basinus beatæ Mariæ ecclesiam contra gentilium vestationem defenderet, grauitè in campo vici *Meldes. veldt* vulneratus, martyr migravit ad Christum. Cornelius, autem Iansenius, episcopus, in literis testimonialibus visitationis, vocat eum martyrem Christi, miraculis diuersis clarissimum. Dicitur tamen alicubi inuenisse titulum confessoris. Sed hæc duo non pugnant eo quòd nõ statim ex vulnere obierit. Ea enim ratione & alij, nunc confessores, nunc martyres vocantur. Quia autem in feretri imagine ad thoracè liliū gestat, inde suspicio est, eum non quidem Franciæ, sed in Francia regem fuisse, siue regulum. Cæterum Deiparæ ecclesiam à Basino constructam & propagatam, beatus Amandus Gandauensium Apostolus collegio, aut, vt maiores loquebantur, monasterio clericorum decorauit. Quorū locus à Nordmannis dirutus est anno octin-

octingentesimo octuagesimo tertio, à Balduino autem Caluo reedificatore, dictus est Altum monasterium in Truncinio. Sed Canonicis, qui regularem & monastico nomine dignam vitam abiecerant, successerunt Canonici Præmonstratenses anno millesimo centesimo trigesimo octavo. Vnde Truncinium Flandricè *Dronghen*, inter Gandensis diocesis abbatias celebratur, ornatum corporibus Sanctorum, Gerulphi, Basini, & filii eius Aldegundis.

Decima quinta Iulij.

1<sup>o</sup> De sancto Plechelmo episcopo.

*Ex diuersis.*

**C**ivitate Oudenzeele, natale sancti PLECHELMII episcopi. Qui Wironi cum ex Scotia iuxta insulæ consuetudinem Romam mitteretur summi Pontificis manibus consecrandus, comes itineris & voti accessit: sacerdos virtute venerabilis, nec ætate maior, nec meritis multo minor. Romanus autem Pontifex reluctantem Wironem episcopum ordinavit: eundemque honorem Plechelmo sancti viri socio impertijt, & multis auctos muneribus in patriam remisit. Wiro autem oblata oportunitate rursus assumens Plechelimum coepiscopum, ex patria per mare Gallicum ad Pipinum ducem peruenit, qui eos cognovit sanctitate sua totam patriam illustrasse, ideoque honorificè suscepit, & locum qui Mons Petri dicitur, rerum cælestium contemplationi idoneum illis attribuit. Et hæc de eo, aut potius de utroque in Wironis vitæ historia leguntur ad octavum diem Maij.

Quo



Quo etiam in loco notatum est à nobis vtriufque nonnullas reliquias ex Petri-monte ad vicinam urbem quæ Ruremunda dicitur, cum Canonicorum collegio esse translatas. Cæterum præcipuam portionem corporis Canonici oppidi Oudencelenfis, quod est trans Iselam, sibi attribuunt. In historia Switberti auctore sancto Marchelmo nominatur episcopus de Massa candida. Beda verò, Prouinciæ Nord-Humbrorum quatuor nunc episcopi, ait, præsulatum tenent, Wilfridus in Eboracensi ecclesia. Edilwaldus in Lindisfarnensi ecclesia, Acca in Hagulstadenfi ecclesia, Pecthelmus ( alias Plechelmus ) in ea quæ Candida casa vocatur, quæ nuper multiplicatis fidelium plebibus, in sedem Pontificatus addita, ipsum primum habet antistitem.

Cap. 14.  
Cal. Martij.

Hist. eccle.  
lib. 5. c. 24.

## 2º. Liberatio ciuitatis Ierusalem.

*Ex Guilielmi Tyrij libris de bello sacro, & aliunde.*

**L**iberatio ciuitatis Ierusalem de manibus Turcorum: festum olim duplex, cum Octaua. Sicut enim Iudæi annuè celebrare solent luctum euerse Ierusalem, cuius restem habemus beatum Hieronymum, ita maiores nostri memoriam ereptæ à Turcis vrbis sacre celebrarunt, vsque dum vox solennitatis versa est in planctum, eratque principium diuini officij; *Ecce nomen Domini venit de longinquo* Conuenienter autem tale exordium canebatur, quia nomen Domini potissimum illuc veniebat per Francos & Teutones, qui in longinquo ab Ierusalem disiti sumus. Quamuis nec Italos, Anglos, Scotos, aliasque gentes ab hac gloria secludamus. Hispanos tamen abesse fecit domesticum bellum, quod contra Saracenorum reliquias prosequabantur. Fuerunt autem eius sacri belli, quo nullum vquam fuit gloriosius, primarij auctores, Petrus eremita, & Godefridus dux de *Brayllon*, vterque origine Francus, sed habitatione Belga, in regno Teutonico. Quare breuiter hic

In primum  
Sophonia.

Esaiæ 30.

Libro 4.

Epist. 312

\* leg. Han  
noniorum

hic commemoranda est celeberrima illa victoria Anno millesimo nonagesimo quinto Urbanus secundus, commotus à Petro eremita, bellum statuit pro viribus Turcis inferre, & Ierosolymorum urbem sanctam ex eorum manibus extorquere. Italia verò & Germania relictis, quòd regis Henrici culpa, sævis seditionum fluctibus iactabantur, Francos potissimum, à quibus ipse trahebat originem, à se incitandos putavit. Itaque ex Roma in Gallias veniens, Synodum habuit in Claromonte, men se Nouembri. Erat ea valde celebris conuentu Gallorum & Germanorum, ac totius prope Occidentis, tam episcoporum quàm principum. Coram quibus Pontifex orationem habuit, pro sacro bello Ierosolymitano, luculentam, & Reipublicæ vtilem, quam lector apud Paulum Æmylium legat. Vnde passim tam nobiles quàm ignobiles, in remissionem peccatorum suorum, & in terræ sanctæ liberationem iter aggressuri, cruce se signarunt. Ex quo ipsa expeditio Cruciatæ est vocata. Primus per Hungariam Constantinopolim abiit, sequenti vere, Gualterus *Sensaneir*, vir nobilis, & in armis strenuus, cum ingenti multitudine peditum. Quem mox insecutus est Petrus eremita cum quadraginta millibus, transcursa Lotharingia, Franconia, Bauaria, & Austria, qui tamen ferè omnes fame & gladio corruerunt. Ideoque Bernardus, Petri exemplo adhibito, monet bellicosos Duces eligere, & simul proficisci exercitum Domini, vt vbique habeat robur. Eodem anno, mense Augusto, eadem via discessit magnificus & illustis Godefridus Lotharingæ dux. Fuerunt autem qui eius castris se adiunxerunt, viri nobiles, & perpetua memoria digni, Balduinus eius frater vterinus, Balduinus de Montibus, \* Hamancorū Comes, Hugo Comes de sancto Paulo, Engelramus filius eius, Garnerus Comes de Grez, Balduinus de Burgo, ducis consanguineus, Henricus de Ascha, Godefridus frater eius, Dodo de Conz, Cono de Monte acuto, & alij plures. Qui cum scirent Petri exercitum, aliorumque legiones, tristes casus pertulisse in Hungaria, miserunt legatum ad Calemannum regem, pro libero & tranquillo transitu, virum nobilem Godefridum de Ascha, regi familiariter notum. Rex autem voluit cum Godefrido optata diu miscere colloquia, & accepto Balduino fratre in obsidem, transitum libens admisit, atque transeunti multi Hungaricæ nobilitatis, nomen ad sacram militiam dedere. Cum autem dux ad Imperium Græcorum perue-

peruenisset, & Hugonem magnum regis Francorum fratrem, aliosque nobiles captiuos esse intelligeret, statim eos reperijt ab Imperatore. Cumque is recusaret, militi suo regionem dedit in prædam. Qua depopulatione concessa, coactus est Imperator captiuos dimittere. Tandem fixis tentorijs castra metatus est cum exercitu ante Constantinopolim: vnde sæpe ab Imperatore ad urbem euocatus est, sed euocanti malè fidebar, & ob id introire renuit: ex quo graues ortæ sunt inimicitia. Tandem Imperator filium suum duci obsidem dedit, vt ad eum ingrederetur. Ingredientem honorificè recepit, & indutum vestibus imperialibus in filium adoptauit, pace & gratia vtrunque reformata. Interea per difficultates itinerum cum suis adueniunt, Boëmundus princeps Tatentius, Robertus Comes Flandrensis, Raimundus Comes Tolosanus, Ademar Episcopus Podiensis siue Auiciensis, qui omnium curam Apostolica auctoritate suscepit, & Robertus Normannorum dux, cum Eustathio, fratre Godefridi ducis. Sigonius addit Anselmum Mediolanensem episcopum, *Libro 9.* cum quinquaginta milibus Lombardorum: cumque iam Occidens in Orientem migrasse videretur, omnes contenderunt ad expugnandam Niceam Bithiniae, vbi recensiti sunt peditum sexcenta, & equitum loricatorum centum millia, qui laborum suorum primitias sibi consecrarunt. ciuitate per deditioem accepta, Solimanni vxore & liberis duobus Constantinopolim abductis, eiusque exercitu fuso: quem etiam postmodum magis fuderunt. Occuparunt deinde, dispersito exercitu, obuias quasque ciuitates & regiones; Tancredus, Tarsum & vniuersam Ciliciam. Cui apud Tarsum accessit classis ex Flandria, Hollandia, & Frisia. Balduinus ducis frater inuasit vsque ad Euphratem vniuersam regionem. Vltra vero Euphratem Edissen, & Samosatenses vltro eum vt liberatorem receperunt: Sororgienses ad deditioem impulsi. Flandrensis Comes, habita Maresia, violenter à Turcis occupauit Artesiam. Iam maior exercitus, per abrupta montium & vallium deuexa, Antiochiam Syriae appropinquabat, omnesque dispersæ copiae in vnum sese congregabant, quibus & naues Ianuensium accesserunt. Hanc autem urbem, quæ nona olim fuit gentilium Ierusalem, à decima die Octobris obsessam, tertia demum die Iunij expugnatur, opera potissimum Boëmundi, qui inuento per amicum

ad V modo

Iulij 15.

NATALES

modo intrandi, primus intrauit, post quem Flandrensis & Nordmannus. Occupatam autem urbem magnus princeps Corbagath obsidione vallauit, & clam vnam turrim occupasset, nisi viriliter ei restitisset Henricus de Ascha cum duobus cognatis. Cum autem intus inedia premerentur, Petrus eremita missus est legatus ad hostes, eosque renunciauit pugnam deponere. Vnde vniversae legiones summo mane celebratis diuinis, & caelestis cibi munere satiatæ, per Dominum confortatæ, eruperunt, & de hostibus triumpharunt. Vrbe iam in tranquillitate composita, versus Ierusalem tendentes, multas vrbes occuparunt, & post variam fortunam, anno millesimo nonagesimo nono, septima Iunij ad urbem sanctam & Deo amabilem Ierosolymam castra metatæ sunt. Cumque victus & aquæ penuria laborarent, ex communi decreto indictæ sunt Litanie, & assumtis crucibus & sanctorum patrocinijs, episcopi & clerus nudis pedibus, populum subsequenter vsque ad montem Oliuerti præcesserunt. Vbi Petrus eremita, & Arnulphus familiaris Comitis Nordmanni, populum exhortationis sermone ad longanimitatem animarunt. Octauo autem die humiliationis, obsidionis autem trigesima nona, eadem feria & hora quibus Saluator ibi pro nostra salute mortem crucis subiit, vrbs capta est, Idibus Iulij, eo videlicet die, quo primitiua ecclesia inde abiecta fuit, cum festum de dispersione Apostolorum celebratur, vt habet epistola Ducum sacri belli, in qua Godefridus Dux se nominat gratiam Dei sancti sepulcri aduocatum. Idemque primus ponte ordinato ingressus est urbem, cum fratre suo Eustathio. Quos continuo subsequuti sunt Ludolphus & Guilielmus, vterini fratres, patria Tornacenses. Statim post, Flandrensi Comite, & Nordmannorum Dux. Caterum quæ ulterius sint victoriae subsecutæ, & quando eadem iterum per principum discordias sint amissa, ex aliorum historijs petatur.

Apud Marianum Scotum in appendice.

3. Ap-

3<sup>o</sup>. *Appendix de Petro eremita, fundatore Novi monasterij.*

*Ex Wilhelmo Tyrio archiepiscopo, ex monumentis & scriptis Novi monasterij, qua dominus Iodocus Dorius, Prælatus loci, ostendit, & communicauit. Quibus & aliunde quadam adiecimus.*

**N**Obis hoc loco quædam latius dicenda restant de Petro eremita, & Godefrido duce, eo quod hi belli primores principes, non absque diuina, ut apparet, prouidentia, festi huius latus claudant, dextrum & sinistrum. Godefridus enim postridie obiit, & octauo die post captam urbem rex eligebatur. Petrus uero eremita, octaua die ante urbem captam, exercitum litanias & nudipedalia inchoantem, sacra concione instigabat. Eodem que die decursis aliquot annis debitum naturæ persoluit.

*De hoc s. Petro latè Arnoldus Wion lib. 5. ligni vi. fac. 104.*

Petri huius historiam, quod sciam, nemo plenius aut uerius conscripsit, quam Wilhelmus archiepiscopus Tyrius, regni Ierosolymitani Cancellarius. Erat de episcopatu Ambianensi, re & cognomine eremita, statura pusillus, & quantum ad exteriorè hominem, persona contemibilis. Hic orationis & deuotionis causa Ierosolymam peruénit. Vbi cum diligenter de oppressione Christianorum cum lacrymis scrutaretur, & à Græcorum imperio, quod vix sibi sufficebat, nihil sperari posse intelligeret, sed tantum à Romana ecclesia, & Occidentis principibus, obtulit sese in remedium animæ suæ legatum, si Simeon patriarcha ad dominum Papam, & ecclesiam Romanam & principes Occidentis, scriptum sigilli sui auctoritate corroboraret. Visus est & Dominus Iesus Petro in ecclesia sanctæ resurrectionis, dicens:

*De bello sacro libris primis.*

*Surge, propera, & quæ tibi sunt iniuncta, intrepidus perage. Ego enim tecum ero.*

Quare peractis de more orationibus, & impetrata Patriarchæ benedictione, prospera navigatione Barum peruenit, Unde Romam profectus circa illas partes beatum Urbanum inuenit, fideliter & prudenter legationem exposuit,

litteras porrexit, miseras & abominationes terræ sanctæ explicuit. Pontifex legatum benignè suscepit, & mox in Gallijs fidelem cooperatorem fore se promisit. Vnde Petrus transcurrens Italiam, Alpes transiens, zelo diuino successus, Occidentales principes increpat, instat, arguit, ut afflictis fratribus succurrant, & loca sacra expurgent. Plebes etiam & infimæ sortis homines animabat. Cui Dominus tantam gratiam contulerat, ut rarò sine fructu populos conueniret. Fuitque domini Urbani præcursor usque in Gallias, ubi iam dictus Pontifex in celebri Synodo Claramontana legationem eius aperuit, & principes ad bellum sacrum exhortatione euocauit. Nec satis ei fuit ad hanc viam innumeros incitare, sed usque post captam Ierusalem in multis utilis cum exercitu Dei perseverauit. Tunc summa cum gratulatione exceptus fuit à Christianis, à quibus ante quoque annos suam legationem acceperat. Cùm autem vrbe feliciter occupata in Belgium redisset, fundauit in suburbio Hoyensi nouum monasterium, in quo Prior obiit. Cui postea Hugo de petra ponte, episcopus, abbatibus dignitatem adiecit. Fundauit autem id potissimum sumptibus Canonis Comitum Montisacuti, & Lamberti Comitum Clari montis, qui cùm in terræ sanctæ subsidio naufragium passi, Deo ecclesiam vouissent, mox serenitatem obtinuerant. Proclamatur autem annuè eo in loco beati viri memoria sequentibus verbis:

*Octauo Idus Iulij, anno Domini millesimo centesimo decimo quinto, obiit dominus Petrus venerabilis sacerdos & eremita, qui primus predicator sanctæ Crucis à Domino meruit declarari. Hic post acquisitionem terræ sanctæ, cum reuersus fuit ad natale solum, ad petitionem quorundam virorum nobilium & ignobilium fundauit ecclesiam istam, in honorem sancti sepulcri, & sancti Ioannis Baptiste, in qua idoneam sibi elegit sepulturam.*

Elegerat autem vir humilis sepulturam in cœmeterio, sed reliquæ eius postea translatae sunt ad cryptam, anno, ut marmori incisum est, millesimo, ducentesimo quadragésimo secundo, & tunc integer inuentus fuit cum barba. Cæterum quidam præterea annotarunt hunc Dei virum

*Polydorus*

*lib. 5. ca. 9.*

primum inuenisse modum orandi ad calculos seu grana.

Qui

Qui per totam ecclesiam nunc est celeberrimus. Quae autem contra eum scribit Roberrus monachus Francus, ea non dubito calumias fuisse quorūdam Francorum contra Teutonicum siue Imperij eremitam. Quod facile probarem. Et iam olim à Francisco Petrarca est animaduersum, dum libros suos de vita solitaria in Gallijs scriberet. Videns enim de Petro, quem pro merito suo multum laudat, scribentium variè affectos animos, se studio rerum, non hominum, agi profiteretur.

*Robertus  
libro I.*

#### 4<sup>o</sup>. Appendix de rege Godefrido

##### *Bullonio.*

*ex Wilhelmo Tyrio, & alijs ad marginem indicatis.*

Sed ad regem Godefridum transeamus. Hic partem habuit Eustathium, Comitem Boloniensem in regna Franciæ gratiosissimum: patrum pontificem Parisiorum: matrem verò religiosam mulierem, Idam, sororem Godefridi ducis Lotharingiæ, qui eum in filium adoptauit, & hæredem suum contituit, magnum denique auunculum, Stephanum, primum antistitem Cassinatem ex archidiacono Leodiensi: deinde pontificem maximum, prisci sanctitate clarum, qui Mediolanensem ecclesiam ad officium suum reuocauit, ducentesimo anno ex quo à Romana defecit. Fuit autem Godefridus vir in usu armorum, & exercitio militari, omnium iudicio singularis. Vnde Henricus Imperator in acie existens contra Radulphum pseudoregem Saxonum, eum exercitus primicerium constituit, vbi pseudoregem per vitale pectus imperiali vexillo transverberauit. Cùm autem eodem Henrico Romam inuadente, per partem mari à se extractam primus irrupisset, ex nimio labore in grauem incidit infirmitatem. A qua ut liberaretur, ad terram sanctam peregrinationem vouit. Ex quo voto statim eum conualuisse scribunt Antoninus & Nauclerus. Votum autem istud, & iniqua sacrosanctæ potestatis oppugnatio, principem bonum meritò ad bellum sacrum, Vibano id publicante, exstimularunt. Quare castrum suum Bullon cum longè lateque diffuso territorio, Leodiensi ecclesiæ maiori gloria sua, quam ementis, disendit mille trecentis marchis.

*Paul. Æ.  
militis. li. 4.*

*Antoninus  
titulo 16.*

*c. p. 1, Chron.  
101.*

*Nauclerus  
generazione*

*37.*

Julij 15.

IN ANTALLES TOMAS

Apud Paris.  
Emil. li. 5.

Goropius  
lib. 1. origi-  
num Ant-  
verpia.

Andreas  
Theset ci-  
tat lib. 6.  
cap. 8. Cos-  
mographia

for. cultui  
sic legit An  
Andreas The-  
men.  
uetus in vi-  
ris illustri-  
bus cap. 13.  
2. partis.

argenti purissimi & tribus auri. A quo tempore episcopi  
Leodienses se etiam duces vocarunt Bullonenses. Vel (vt  
plenius dicam ex exhortatione Bernardi ad Ludouicum iu-  
niorem) tria amplissima patrimonialia, suum, fratris, & ma-  
tris, partim oppignorauit, partim diffraxit, vt copias pro-  
rum plusquam pro virili aleret. Ita qui corruerat, contra  
Pontificiam potestatem militans, maior excitatus est, re-  
gnumque caeleste merendo, inter nos etiam in terris nactus  
est. Collegit autem optimus princeps Antuerpia, vbi Mar-  
chio erat, primitias huius sacrae militiae, ascribens in eam  
duodecim primos viros, in honorem duodecim Apostolo-  
rum, Sed & ecclesiam diui Michaelis multis donarijs dita-  
bat, commendans se & militiam dicto Archangelo principi  
ecclesiae. Porro post occupatam a se Ierusalem, octauo die  
ynanimiter in regem est electus. Hunc enim Franci obser-  
uabant: Germani suum ducebant, Itali colebant. Reiecit  
tamen cum nomine coronam auream, indignum arbitra-  
tus illic aureo diademate hominem vti, vbi rex regum  
Christus spineam coronam, pro redemptione humani ge-  
neris, tulisset. Mox autem Deo primitias regiae suae pote-  
statis obtulit, fundans claustrum, & in eo Dominici sepul-  
cri Canonicos. Dum autem ulterius victor pergeret, verus  
Christi confessor centuplum accepturus, intra primum an-  
num regni sui per validam aegritudinem viam vniuersae car-  
nis est ingressus, decimo quinto Calendas Augusti, anno  
millesimo centesimo. Fuit vir religiosus, clemens, pius, ac-  
timens Deum, stabilis & serius in verbo, saeculi vanitates  
contemnens, quod in militari professione rarum est, in ora-  
tionibus iugis, liberalitate insignis, affabilitate gratiosus,  
mansuetus, misericors, & Deo placens. Cui in regno ele-  
ctione successit Balduinus frater eius, Comes Edessanus.  
Sepultus est, sicut & frater, in ecclesia Dominici sepulcri,  
sub loco Caluariae, vbi humilis princeps humilem habet epita-  
phium suae tumbae incisum: *Hic iacet inclytus dux Gode-  
fridus sive dux de Buillon, qui totam istam terram acquisiuit &  
sic legit An cultus Christiano, cuius anima regnat cum Christo. A-  
Andreas The-  
men.*  
a. De hoc Godefrido Iustus Lipsius in suis monitijs &  
exemplis. 2. monito 1. nu. 4. sic ait: Rex terra sancta  
factus Victorijs, & vita illustris obiit: quem mirari ali-  
quando



quando subijt, non & ipsum relatum in diuorum numerum, tam claris testatisq; meritis.

b. Vide antiquos de eo versus in christiani Adrichomij descriptione Urbis Ierusalem nu. 242. qui continent eius epitaphium.

## Die decima-sexta Iulij.

### 1<sup>o</sup>. De sancto Monulpho, episc. Leodiensi.

*Ex manu-scripta historia, & Gregorio Turonensi.*

**T**Raiecti, sanctorum episcoporum & confessorum **MONULPHI & GONDULPHI**. Erat autem Monulphus homo iustus, doctor bonus, orphanorum & peregrinorum pater, qui, ut Gregorius sanctus episcopus Turonensis attestatur, magnum templum Traiecti in honorem sancti Seruatij construxit, composuit, & ornauit: in quod multo studio & veneratione translatum corpus magnis virtutibus pollet. Clericos Deum timentes ibidem instituit, quos monuit semper secundum Canonica instituta in omnibus viuere. Prædiorum suorum, inter quæ est castrum Dionantum, beatum Seruatium scripsit hæredem, in cuius medio ecclesiæ, omnibus dignè peractis, sepultus est: postquam per triginta nouem plus minus annos fuisse scribitur episcopus.

*De gloria  
confes. ca-  
pite 72.*

### 2<sup>o</sup>. De sancto Gondulpho, ibidem episcopo.

*Ex historia manu-scripta, & monumentis ecclesiæ Traiectensis.*

**S**ANCTUS verò **GONDULPHVS**, Traiecti ad Mosam nutritus, & magnis ex natalibus, primis videlicet Lotharingiæ oriundus, moribus, continentia, & eruditione clarus fuit: & sanctam

Traiectensem ecclesiam septem annorum temporibus dignè rexit. Migravit ex hoc sæculo circa annum sexcentimum septimum, eodem anni die, quo prædecessor, cui etiam par meritis est consepultus, in navii, siue in medio Ecclesiæ sancti Seruatij, vbi tumulus eorum, vnde eleuati sunt, hætenus visitur, & vterque defensor patriæ, & custos ecclesiæ, celebrem habet memoriam. Festum eleuationis vtriusque incidit in diem sancti Laurentij.

3<sup>o</sup>. *De sancta Rainelde martyre Santhēsi.*

*Ex varijs monumentis Lobienſis monaſterij, quæ ad me miſit Erminus Franſois, reuerendus abbas Lobienſis.*

**S**Anthis, sanctæ RAINELDIS virginis & martyris sororis beatæ Gudilæ, quæ ab Hunnis pro fide Christi est interempta. Item sanctorum martyrum GUNDULPHI & GRIMOALDI, sociorum eiusdem virginis.

Natalem autem ad miserias accepit hæc sancta virgo, in Condaco ad Scaldim, ex religiosissimis parentibus Witgero & Amalberga, qui magna dignitate & opibus pollebant. Sed cum sancta virgo indies magis ac magis carnem edomans, spiritum roboraret, præter Deum nihil habere decreuit. Vnde cum sorore Gudila Lobium adiit, omnia sua beato Petro Apostolorum principi oblatura. Sed à fratribus loci vtraque audiuit mulierem nunquam intrasse domum illam. Ob quod beata Gudila recessit. Sancta autem Raineldis per triduanas preces diuinitus ingressum obtinuit, & Santhas cum quinque villis & omni-

omnibus appendicibus, cælestis regni clauigero tradidit, vt ab eo ad cæli palatium mereretur introduci. Dehinc benedictione accepta à patre monasterij & fratribus, vniustantum serui & ancillæ comitatu contenta, loca quæ Dominus noster Iesus Christus corporaliter perambulauit, peregrinando visitauit, & post septennium cum multis reliquijs Sanctas reuerfa, terrenis conculcatis, & à beato Auberto velata, vitæ contemplatiuæ statum, miraculis atque virtutibus refulgens, obtinuit. Vbi etiam ab irruentibus barbaris martyrio est coronata, ante altare S. martyris Quintini, in modum Dominicę Crucis prostrata. Post septennium paralyticus ad eius tumulum sanatus est, & deinceps per plures alij. Quorum certa indicia fuerunt pendentes carei, oculi, manus, pedes, aliaque membra humanorum corporum, donec propter peccata plebis, ecclesia illa exusta est. Porrò anno octingentesimo sexagesimo sexto, gleba corporis eleuata est in thecam argenteam, sub trium vicinorum episcoporum præsentia, inter quos præcipuam operam impendebat Ioannes episcopus Cameracensis. Sequenti autem tempore sub Gregorio septimo, Gerardus episcopus thesaurum corporis in decentiorem loculum reposuit, addito suo sigillo. Postremò anno septuagesimo vltra millesimum & centesimum, Ioannes abbas Laubiensis, sacra pignora summa veneratione populo ostendit, & in augustiorem thecam transposuit, coram multis testibus. Quidam etiam ad contactum liberati sunt à febris. Oppidanis autem multo zelo corpus sanctum custodientibus, abbas vix quicquam ex concineratione, cum costa vna, obtinuit. Natalis cele-

bratur die decima sexta Iulij. Cæterum quoniam de die primæ elevationis & secundæ translationis non satis constabat, sub die tertiæ translationis, aliæ simul festiue recoluntur die vigesima sexta Octobris.

Locus est diœcesis Cameracensis apud Hallas (memoria beatæ Virginis Deiparæ longe lateque celeberrimas.) Eratque olim Brabantix ciuitas, solius Lobienfis monasterij dominium: modo verò Hannoniæ pagus, cuius superius dominium quidam, hæreditarij iuris prætextu, per lites inuaserunt.

Examinent verò Belgicarum antiquitatum studiosi, an nata sit in Condato Hannoniæ oppido: an verò Condaci apud Antuerpiam.

#### 4<sup>o</sup>. De sanctis martyribus Grimoaldo & Gundulpho.

*Ex officio & picturis Lobienfis ecclesiæ & Santhenfis.*

SANCTI quoque martyres GRIMOALDVS subdiaconus, & GUNDVLPHVS minister in die beatæ Raineldis commemorationem habent Santhis & Lobijs vt martyres Christi. Beatus enim Grimoaldus capite plexus est, Gundulphus verò, clavis in caput adactis, vitam finiuit. Qualis autem minister hic fuerit, altarisne, an sanctæ Raineldis, an verò templi, in historia beatæ Raineldis non exprimitur. Sed Santhenfes custodem templi fuisse affirmant. Nam apud eos depingitur cum clavis per tempora defixis, & cum clauibus ecclesiæ in manu. Volunt autem nonnulli à tribus iam dictis sanctis martyribus, locum nomen accepisse.

Die

Die decima septima Iulij.

De sancto Fredegando confessore.

Ex informatione Monasteriensium & Dornensium.

**T**Urnini, natalis sancti FREDEGANDI presbyteri & confessoris. Cuius corpus requiescit in ecclesia collegiata Monasteriensi. Est autem de illis beatis prædicatoribus, qui ex Hibernia in Galliam venerunt cum sancto Foillano & alijs Apostolicis viris. Locus verò, in quo eum quiescere iam commemoratum est, est Monasterium super Sambriam, à beato Amando in honorem S. Petri constructum, duobus miliaribus à Namurco; vbi antiquitus fuisse congregationem monasticè viuentem, ipsum nomen indicat. Sed nunc vocantur Dominæ & Canonice. Est etiam celebris sancti viri memoria in *Dörne* apud Antuerpiam. Ibi enim quieuit, cum is locus ciuitas esset: ferturque muris cincta fuisse, cum ijs adhuc Antuerpia careret. Qua autem de causa inde translatum fuerit sanctum corpus, pulchrè explicatur in beati Gumhari translatione, hisce verbis; Nordmanni per fluium qui dicitur Schinda, ad villam Turninum deuenerunt; vbi erat monasterium sancti Fredegandi confessoris. Sed Deus propter iniquitatem habitantium exosus locum, reliquias ipsius iussit altè transportari, vt nullum esset obstaculum contra desolationem. Quibus sublatis, velut muro & turribus ciuitatis destructis, irruit gens inimica, & incendio perdidit omnia ædificia: ipsumque monasterium consumpsit: homines partim trucidauit, partim captiuos abduxit. Quæ etiam leguntur in collegiata ecclesia Monasteriensi.

Coropio flui.  
iii. secunda

ensi. Natalem diem habet decimum septimum Iulij, aduentus incidit in diem sanctæ Barbaræ.

Locus Gallicè pro Monstier dicitur *Monstier*, sicut fetetro incisum est nomen sancti Fredegavdi, cum vltatius & rectius dicatur Fredegandus, Gallicè *Frego*.

### Decima octava Iulij.

1<sup>o</sup>. De S. *mart. Frederico episc. Ultraiecti.*

*Ex martyrio quod Surius edidit.*

**T**Raiekti, natalis S. FREDERICI, eiusdem loci episcopi & martyris, qui innocens à nocentibus pro veritate occisus est ante sanctum altare Dei. Hic natione Friso, multum laboravit in Walachria contra illicita cõnubia, & in Frisia contra Arianam perfidiam Ludouicum Imperatorem voluit condignam agere pœnitentiam, de eo quod Iudith Ducis Bauariæ filiam, suæ maiestatis carnalem consanguineam, contra decreta Canonum & Pontificum haberet vxorem, sine licentia summi Pontificis, & sine aliorum Præsulum iudicio. Cumque excommunicationis gladium minaretur, Iudith eum precibus & promissis frustra flectere tentauit. Quare duos subornauit, qui sanctissimum Frisonicæ gentis episcopum, post Missæ celebrationem, pro veritate occiderunt. Quod factum est anno octingentesimo trigesimo octauo. Quidam Lud. & Iudith causam defendunt. Vide Regin. & Ammoynum. Quiescit ad sanctum Saluatorem, in crypta habens monumentum, vbi inuocatus medicum se & medicinam exhibet. Huius sancti intuitu multa ecclesiæ Traiectensi Gerowaldus tulit (anno 828. in villa Embrici )

Embrici.) Umbrachus quoque nobilis contulit, (anno 834.) quicquid possedit in Ooesterbach & in Praest, & quicquid sub lege Francorum in eius erat dominio. Passionem autem edidit Surius die decimo octauo Iulij, ex Traiectensis ecclesiae codice.

a *Locum cedis indigena nominant, Den groüwel, id est Horrorem.*

## 2º. De translatione S. Odiliae ad Huyum.

*Ex lectionibus Huy apud Cruciferos.*

**A** Pud ciuitatem Huyensem, translatio corporis gloriosae virginis Odiliae. Hæc de numero vndecim millium, dixit in visione Ioanni de Eppa conuerso Parisijs in Conuentu fratrum sanctae Crucis: *Surge frater. Colonia iuxta sancti Gereonis ecclesiam, in viridario Arnulphi, inuenies ossa mea, sub piro in marmoreo sarcophago, quae in primarium sanctae Crucis cœnobium, iuxta oppidum Huyense, volo transferri.* Conuersus à Priore Coloniam missus, cum thesaurum caelestem inuenisset, Sifredo archiepiscopo nunciauit, qui corpus beatæ Odiliae eleuauit, & in capsulam ligneam reuerenter reposuit. Deinde prædictus conuersus capsam cum literis gestorum, clam à Colonia digrediens, Huyum transtulit, ad ecclesiam fratrum sanctae Crucis. In ipsa autem translatione anno millesimo ducentesimo octuagesimo sexto, & in loco suae translationis, crebis miraculis coruscavit.

3. De

3<sup>o</sup> De sancto Arnoldo citharædo.

*Ex rescripto domini Arnoldi Hysvelt Canonici Colonia.*

**I**N territorio Iuliaceasi, pago, Arns-Wiler, natale sancti ARNOLDI, citharædi Caroli magni, & confessoris. Hunc comperi esse diœcesis Coloniensis. Non enim in Wiler apud Falkenburgum, sed in Iulia obiit; & quiescit in loco qui ab eo dicitur *Arns-wiler*: vbi ab incolis & alijs paganis, qui eius nemoris quod à Carolo magno impetrauit, participes sunt, solenniter celebratur, die decima octaua Iulij. Conueniuntque ad festum diem processionaliter cum vexillis & crucibus. Verisimile est tamen ex loci vicinitate eum lyricum fuisse in Belgij palatijs, Neomagi & Aquisgrani, quibus Carolus summè delectabatur. Est autem *Arns-wiler* Latinis, Arnoldi villare sicut *Brun-wiler* est Bruh, siue Brunonis villare.

## Die decima nona Iulij.

*De beato Bernulpho episcopo: Quem  
Berta Bernonem; Henricus III  
Bernoldum nominat.*

*Ex chronicis Ioannis Becani, & Wilhelmi Hedani.*

**T**Raiecti, memoria beati BERNULPHI episcopi. Qui primùm fuit Pastor Ecclesiæ in pago *Oosterbeeck*, Sed ex compromisso Capiruli per Conradum Augustum, cuius vxor in eius parochia pepererat, ad vacantis Sedis dignitatem euectus est. Quam annis viginti-septem in pace gubernauit. Hic ad perennem laudis suæ memoriam ædificauit Traiecti Collegiatus ecclesias, vnam sancti



sancti Petri, alteram sancti Iohannis præcursoris Domini. Medietatem quoque collegij sancti Saluatoris pro reuerentia beati Lebuini Dauentriam transplantauit: & abbatiam reuerendi patris Aufridi de Monte sancto Traiectum transtulit, vbi conuentualem ecclesiam in honorem sancti Pauli condidit. Ecclesias præterea & loca sacra per dicecesim suam ruinam minantia, in cultum pristinum restituit & ornauit. In hac itaque tam sancta conuersatione, vsque in finem vitæ perseuerans, migravit ad Dominum anno millesimo quinquagesimo quarto, sepultus in sanctuario ecclesie sancti Petri per ipsum fundatæ: translatus tamen postea collocatus est in choro, vbi plurimis claret signis & virtutibus: quo & mortales plures nostra tempestate confluunt salutis gratiâ. Interueniente autem Bernulpho ecclesia Traiectensis hæc accepit incrementa. Berta nobilis & ingenua scemina caput suum liberum donans, altare sancti Martini, secum familia subiecit tutelæ Ecclesie Traiectensis. Henricus tertius, inuictissimus rex, eidem Ecclesie in qua Conradi Imperatoris patris sui viscera sepeliuit, contulit. *Vphelte, Withelte, Pshelo*, quæ Vlffo & frater eius possederant in Comitatu *Trente, Linberwunge & Enon* in Comitatu Rodolphi inter *Emese & Laneke* fluuios, prædium suum in villa Groninga, comitatum Agridiocensem siue Ambalcha, locum *Dauentre* cum Comitatu *Amelande*, & expectariuam Comitatus qui post obitum Gozlini ducis regie ditioni in *Trente* visus est subiacere.

*Ex Guil.  
Heda,*

*Chartas donationum  
habet Guil.  
Heda, in  
histor. Traiectensi M. S.*

Die vigesima Iulij.

De sancto Vulmaro abbate.

*Ex historia descripta, cuius portio est in tomo Suriij quarto.*

**I**N Gallijs, pago Bononiensi, monasterio Siluiaco, natalis sancti Vulmari, confessoris admirandæ sanctitatis & religionis viri. Natus est in inferioribus Gallie partibus, in villa Siluiaco, ex parentibus Christianis, & iuuenis coniugem accepit Historaldam. Quam alius velut suam apud principem Francorum repetijt. Vulmarus proinde

proinde iussu principis sponsa priuatus, petijt  
 Altimontem monasterium, quod est in pago Han-  
 noniensi, ad Sambram fluuium. Vbi primùm bo-  
 nes pauit, & ligna ad fratrum officinas importa-  
 uit. Deinde literis operam dedit, & vir humilis  
 qui nocturno tempore calceos fratrum munda-  
 bat, in clerum ascriptus est, & ob vitæ meritum  
 etiam sacerdotio initiatus. Vt autem hominum  
 laudes vitaret, ingressus est in Mempisco ere-  
 mum; vbi in caua arbore per dies tres delituit,  
 omnis alimenti inops, donec illi Angelica cura  
 per fidelem hominem cibus adferretur. Cùm au-  
 tem constructa inibi cellula bonum certamen cer-  
 taret, multos Domino lucraretur, & Dominus  
 per eum multas operaretur virtutes, propter mul-  
 torum confluxum clam ad locum natium seces-  
 sit, vbi in hæreditaria silua construxit ecclesiam,  
 in honorem Deiparæ virginis & sancti Petri A-  
 postoli. Vbi etiam Ceadualla, rex Occidentalium  
 Saxonum, catechumenus eum inuisit. Ex con-  
 fluentium verò turba monasticam adunauit con-  
 gregationem vtriusque sexus, viros tamen femo-  
 uens à fragili sexu, cui neptem suam Bertanam  
 præfecit. Sed & oblatas eulogias largè pauperibus  
 distribuebat. Quiescit quidem extra limites Bel-  
 gij, vt nunc sunt in territorio Bononiensi: Belgi-  
 cistamen sanctis meritò annumeratur, quia san-  
 ctè vixit primùm in Hannonia, deinde in ea par-  
 te Flandriæ, quæ veteribus dicebatur Mempiscus  
 & Menapiscus. Scribit autem Meierus, quod  
 Eikenses in agro Casletano asserant se nomen ha-  
 bere ab arbore in qua latuit, quodque sanctum  
 Vulmarum templi sui patronum studiosè vene-  
 rentur.

Anno 688.

Vigesima

## Vigesima secunda Iulij.

## 10. De sancto Vuandregisilo, fundatore Fontanellæ.

*Ex historia per ferè æqualem; & Martyrologio Blandinij.*

**I**N Blandinio, sanctissimi patris nostri W A N D R E G I S I L I, primi fundatoris cœnobij Fontanellensis; cuius gesta habentur. Fuit hic primum sub Dagoberto comes palatij. Erat enim auus eius sanctus Arnulphus princeps Lothariensis, & Metensis episcopus. Deinde cum sponsa sua in castitatem consentiens, in aliquot monasterijs sanctissimè vixit. Denique Rothomagum fama, prædicatione, & sanctitate Audoëni beatissimi episcopi vocatus, eiusdem iussu, à S. Audomaro presbyter consecratur, & ad riuum Fontanellam, eiusdem nominis cœnobium longe celeberrimum construxit, anno sexcentesimo quadragesimo quinto: vbi sub eo monachorum numerus, ad trecentos excreuit. Diciturque locus ob tanti patroni & successorum sanctitatem, multis prædijs fuit ditatus: quæcumque autem loca sanctus Wandregisilus peragrabat, eadem verbis euangelicis condiebat. Caletanos, qui aliena rapiabant, & præter Christianum nomen, bruti erant, ac belluis similes, ita sua prædicatione conuertit, vt in sacerdotibus & monachis Christum adorarent ac venerarentur. Vitam autem præsentem in meliorem commutauit, annum agens nonagesimum sextum, suosque successores fore præuidit sanctos viros, Lambertum Taruänensem, &

sem, & Ansbertum, quorum prior beato Genesio successit in præfulatu Lugdunensi: posterior Audoëno in Rothomagensi. Postea elapsis annis quadraginta à sancto Bains episcopo, abbate Fontanellensi, translatus est, & ita integer ab omni corruptione, cum vestimentis sacerdotalibus, repperus, quasi eodem die fuisset sepultus. Cæterum urgente Nordmannica persecutione, Boloniam est translatus: eaque cessante, Gandauum auectus cum sanctis Ansberto & Wlframno. Vnde Gandavi ad diuum Petrum annuè legitur; Pridie Calendas Aprilis, Eleuatio & translatio sanctorum Wandregisili abbatis, & Ansberti atque Vulframni archipræsulum. Et tertio Nonas Septembris, In monte Blandinio, Gandavi territorij, aduentus sanctorum corporum Wandregisili abbatis, & Ansberti & Vulframni archipræsulum. Natalem habet in die sanctæ Magdalena. Ad quem etiam diem exstat historia eius, per prope æqualem conscripra.

a An. 944. Sigeb. Miræus & Meyerus.

2<sup>o</sup>. De sancta martyre Lewinna.

Ex litteris ad me datis à Petro de Walonis capella, Priore Winocensi, & Iacobi Meieri chroniceis.

**I**N Anglia, passio sanctæ Lewinnæ virginis. Quæ translata est Bergas, in Flandriam. Cùm enim anno millesimo trigesimo octauo reliquiæ, Oswaldi regis & martyris, & Idabergæ virginis, Bergas essent allatæ, per Balgerum monachum Bergensem, qui Regi ac Regina Anglorum erat notissimus, post annos viginti eos inuisere volens, mediante vento Aquilonari translatus est in portum

tum *Zeuorde*. Ex cuius loci vicino monasterio, quod sancti Andreae dicitur, furto sustulit corpus sanctae Lewinnæ, non tamen absque euidenti Dei, ac sanctae nutu. Ac mox monachi diui Winocæ corpus sanctae martyris ad se delatum, per vicos & castella Flandriæ maritimæ circumtulērunt. In quo itinere permulta miracula Deus in honorem sanctae virginis edidit, quæ per eos dies Drogo Morinorum episcopus conscripsit. Chartula autem reliquijs adiuncta, & tribus integris sigillis consignata, sequentia continebat: Hic iacet corpus præclaræ virginis Lewinnæ, quæ multis decorata virtutibus, floruit sub rege Anglorum Euberto, quæ postmodum sub eiusdem regis tempore martyrio vitam finiuit, archipræsule viuentē Theodoro. Vnde post multorum curricula temporum, Deo reuelante, corpus eius ab Edelino antistite à terra est eleuatum, magna populorum astante multitudine, sicque cum digno honore intra monasterium est collocatum. Natalis incidit in diem sanctae Magdalene, sed transponitur in vigesimum quartum Iulij. Aduentus notatur Nonis Augusti: translatio sexto Calendas Iulij. Habuerunt autem Winocenses corpus integrum, caput videlicet & cætera membra, cuius testimonium in scripto reliquerunt abbas & omnes fratres, nominum subscriptione, anno sesquimillesimo vigesimo secundo, sed per bella Francica nihil Edabergæ retinuerunt, Otualdi tantum ossium partem minimam, & Lewinnæ costam vnā.

a. Anno 1058. Meyer.

b. *Cantuariensi. Indiculus auctoris.*

## Die vigesima quarta Iulij.

1<sup>o</sup>. De sancta Christina mirabili.

Ex Thoma Cantipratensi, & informatione  
Trudonensium.

**I**N Italia, ciuitate Tyro, S. Christinae virginis. Claruit etiam Christina patria Brustumiensis, cognomento mirabilis, sanctae memoriae virgo, in Hasbania, apud Trudoneuses, Brustumienses, & Lollenses. Cuius vita verè admiranda exstat tomo tertio Surij, auctore Thoma de Cantiprato, qui Louanij Supprior fuit apud Prædicatores, circa annum millesimum ducentessimum quinquagesimum, & Suffraganeus episcopi Cameracensis. Obijt virgo in monasterio sanctae Catherinae extra muros Trudonenses. Sed post septem annos reliquiae cum monasterio paulo remotius sunt translatae *Mÿlen* pagum, quem tunc monialibus cum iurisdictione dabat domina Parwetensis.

2<sup>o</sup>. Obitus Mathildis, Lombardiae & Tusciae Ducis, Canussijq; Comitis.

Ex Sigonij libris de regno Italiae.

**I**N Polirone monasterio inter Padum & Larionem, anno 1115. depositio Mathildis potentissimae matronae, non solum egregia pietate ac religione omnium & sui & superiorum saeculorum mulierum praestantissimae, sed etiam publicis operibus, arcibus, pontibus, vijs, templis, monasterijs in Lombardia exstructis, bellisque assiduis pro tuenda Ecclesiae auctoritate administratis, singularibus laudibus in perpetuum celebrandae. Quae gliscente inter Gregorium & Henricum discordia, Lombardiae Tusciaeque ditionem sancto Petro donauit.

Huius mentionem ingero in Belgicis scriptis, quia in Belgio primum maritum habuit Godefridum Ducem Bulloense, quem Sigebertus gibbosum nominat, etsi corpore exiguum, tamen animo eximium. Cuius patrem, Godefridum Gozolonem, Stephani noni Romani pontificis fratrem,

fratrem, maritum habuit mater Matildis, Beatrix, eiusdem cum filia sua indolis. De eis inter Italiae historicos nullus copiosus & exactius differuit quàm Ioannes Baptista Pigna in historia principum Atestinorum. Iacobus autem Philippus in opere de claris mulieribus scribit Benedictinos in agro Mantuano singulis septimanis processionaliter ad eius tumulum accedere, & in memoriam beneficiorum eximiorum exsequias venerabiliter celebrare. Cap. 145.

### Vigesima quinta Iulij.

1<sup>o</sup>. De beato Ioanne Agno, episc. Leodiēsi.  
*Ex chronicis Leodiēn. quibusdam aliunde additis.*

**H**Vy, obitus beati Ioannis, Traiectensis ecclesiae episcopi. Is re & cognomine Agnus, beati Amandi praedecessor, haereditatem suam reliquit oratorio sanctorum martyrum Cosmae & Damiani, quod est in castro Hoyensi. Quo in loco etiam reliquias eius leuauit Ioannes, secundus eius nominis Leodiensis episcopus, anno millesimo ducentesimo trigesimo, easque recondidit in praedictorum martyrum altari.

Natalem quarundam ecclesiarum Martyrologia ponunt octavo Calendas Augusti. Qui tamen in Hoyensi castro non celebratur. Traiectenses autem omnium episcoporum suorum memoriam faciunt, die sexta Februarij.

Notat etiam Libertus Houthem, poma quae vulgo sancti Ioannis dicuntur, ab hoc episcopo nomen habere. Quod se accepisse ex antiquissimo quodam manuscripto codice mihi per literas significauit.

### Die vigesima sexta Iulij.

1<sup>o</sup>. De sancto Iorio episcopo.

*Ex ijs quae contulit Iacobus Frenchus, Bethuniensis, sacrae Theologiae Baccalaureus.*

**B**Ethuniae, natalis beati IORII peregrini, qui montis Sina episcopatum tenuit. Cuius festum in choro Canonice sancti Barptolomaei

Iulij 26.

N A T A L E S

mæi est magnum duplex. In lectionibus tamen nihil proprium est, sed in hymnis & Rithmis de eo canitur :

Dignum est vt collaudetur  
Dominus, & honoretur  
In suo sancto Iorio,  
Quem decorauit gaudio.

Iorius hic, episcopus  
De monte Sinai, opus  
Dei lætus exercuit,  
Fideliter & docuit.

Gaude castrum Bethuniæ,  
Quod tu per regem gloriæ  
Thesaurus habes gratiæ,  
Quibus resplendes hodie.

Hic germanus fuit Macarij,  
Viri sancti coronæ conscij,  
Qui sic certarunt contra vitia  
Quod ambo sint in Dei gloria.

Precedit claudis gressum,  
Sanans omni clade pressum.  
Cuius prece nobis detur vita,  
Per sæcla sæculorum infinita.

In paruo lapide albo, qui cum sacris ossibus reconditus fuit, insculptum est beatum episcopum venisse ex Armenia maiore, parentes habuisse Stephanum & Helenam : fratres septem, inter quos Macarius fuit: obi, se anno millesimo trigesimo tertio.

Cæterum Bethuniensium traditio habet eum voti & religionis causa inuississe Bononiæ memoriam De paræ Virginis: inde propter viciniam loci diuertisse Bethuniam, ad quendam, qui ei aliquando famulatus fuerat. Apud quem, nemi-

ne con-

*Thesaurus:  
Barpiolo-  
mas & Io-  
rii Pasroct-  
nis.*



ne conscio, nocturno tempore ad lucem æternam migravit. Famulus morte deprehensa, & sibi ex ea metuens à iudice molestiam, corpus sanctum intra domesticos parietes sepeliuit. Sed res per crebas apparitiones detecta fuit. Vnde viro sancto dignior data est sepultura quæ adhuc cernitur intra ecclesiam diui Bartholomæi, in sacello quod postea in honorem ipsius Iorij Deo dicatum est. Cùm autem eo etiam in loco memoria eius miraculis crebresceret, caput decenter exornatum repositum est in sacrario: reliqua sacra pignora in summum altare. In huius autem rei memoriam vtriusque sepulture locus religiosè colitur. Nam & priuatæ illæ ædes annuè exornantur in die natali, caput sacrum eò defertur, & ad sepulcrum piè concurritur: circa quod multam lucem diuinitus apparentem sese conspexisse testantur multi superstites. Conseruantur ibidem inter ecclesiæ sacra vasa, duæ eius cistulæ, & duo fulcra pedum equestria.

## 2º. De sancta Christiana virgine.

*Ex officio Teneramondensis ecclesiæ.*

**I**N ciuitate Teneramonda, beatæ CHRISTIANÆ virginis. Hanc regis Anglorum Migranimi filiam vnicam omnipotens Deus aspiciens, de cælo illi Angelum sub specie pauperis transmissit, qui eam catechizaret, atque in Christi nomine baptizari præcepit. Cuius etiam ductu Diciuennam peruenit. Quo in loco sanctissimam vitam exegit. Vnde ad vicinam ciuitatem, Teneramondam translata est. Festum natalis eius est die vigesimo sexto Iulij: translationis septimo Septembris.

Julij 26.

N A T A L E S

ptembris. Lectionum autem Teneræ-mondenſis eccleſiæ, in qua quieſcit, hæc eſt ſumma. Ad Chriſti agnitionem compuncta eſt, cum quendam audiuiſſet in Chriſti nomine eleemoſynam petere, voluitque etiam ſufficienter catechizata, à Chriſto Chriſtiana dici. Cumque virginitatem profiteretur, Aurelium ducem, procum ſuum, ad Chriſti fidem attraxit: & in eccleſia Dickeluennæ conſtituta, cum ſanctimonialium ſecum congregata catervula, ſanctam vitam exegit. Hanc verò famulam ſuam mirabilibus ſignis mirificauit, qui in Euangelio ait: Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet.

Eſt autem Teneramonda, quæ à Tenera fluuio nomen accepit, Flandriæ imperialis ciuitas, diœceſis Gandauenſis, olim ducatus Brabantia, & diœceſis Cameracenſis, beati Hilduardi & dictæ virginis reliquijs decorata.

Vigefima octaua Julij.

De SS. Nazario & Celſo annotatio.

Ex Hannonum chronicis & aliunde.

**M**Ediolani, natalis beati Nazarij martyris, quem Anolinus ſub rabie perſecutionis, quæ poſt Neronem excitata eſt, maceratum & afflictum in carcere, & cum eo ſanctiſſimum puerum Celſum, quem ipſe nutrebat, gladio feriri iuſſit.

Paucis autem hætenus innotuit, quod Leſſabæus ſcribit, ſanctum Nazarium primum Hannonibus Chriſtum prædicaffe. Quod ſumit ex Gallicis Hannoniæ annalibus. In quibus præterea adiicitur, beatum Celſum puerum à matre ſancto Nazario oblatum eſſe Cimellæ, quæ nunc ſit Cimacum, cum eò ex Treuiris fidei propagandæ cauſa adueniſſet, eo que loci eam habitaffe, vbi nunc eſt Baſilica ſan-

Libro 6.

ca sanctæ Monegundis. Quæ an ex coniecturis, an ex certa cognitione habeant, non affirmo. Scribit, scio, inter Græcos Metaphrastes Simon, beatum Nazarium Galliæ ecclesias obiisse: & Romana ecclesia attestatur eum cum beato Celso in mare deiectum esse Treuiris, unde mirabiliter euaserunt. Quare absurdum non est sanctum Nazarium Hannonijs prædicasse Christum. Sed cum Cimel-la olim vrbs fuerit apud Niciam Galliæ, nec constet Chima-cum (quod cum aspiratione Gallicè & Latinè scribi solet) eo nomine nuncupatum fuisse, quæ de beato Celso Chimacensi narratur, ea neque nos, neque Chimacenses Canonici agnoscunt, nisi à vulgo iactata, & relatu seniorum audita.

Die, si placet, trigesima prima Iulij.

De Gaspare Belga, Apostolo Hormutij.

Ex Emmanuelis Acosta de rebus Indicis commentario, & ex epistolis Indicis.

**R**omæ obitus beati Ignatij Loiolæ, qui parens, auctorque fuit Societatis I E S V, quam toto pene terrarum orbe multiplicatam vidit. Hic inter discipulos habuit Gasparem Belgam, Goezæ in Zelandia narum, cuius hoc loco meminero, quod diem depositionis ignorem. Hormutium est insula in sinu Persico, urbem eiusdem nominis continens, ad quam primus è Societate venit dictus Gaspar, ortus in Belgis, qui hominum mores planè solutos ac perditos magna ex parte correxit: furta, scœnora, contractus nefarios sustulit, ita multos, ut ex fraudata pecunia nummi aurei plus vices mille in publicum redacti, mulierculis è cœno flagitiorum extrahendis, opportuno subsidio fuerint: Singulis hebdomadibus bis ærenè concionabatur: cum Iudæis, Mauris, ethnicisque, de religione diserebat: quæstiones de officijs, quos casus conscientiæ appellant, publicè explicabat. Catechismum pueris Maurisque vicatim exponerat, discordias tollebat: valetudinarios inuisibat: ægrotis sedulo ministrabat: confessionibus audiendis distentus erat: res difficillimas eximio fidei Christianæ tuendæ studio, ardoreque pertulit. Barbaros multos in Christi libertatem asseruit. In ijs erat Iogues seu eremita, cuius ea erat san-

Ex Emmanuelis Acosta de rebus Indicis commentario, & ex epistolis Indicis.

citatis fama, ut qua pedes lauisset aquam, rex ipse Hormurij, religionis causa biberet. Sacrificio Missæ adolescentem quendam pene defunctum, à morte reuocauit. Alienata mente mulierem, & à dæmone obsessam, diui Ioannis Euangelio, corpori ipsius imposito, liberauit.

De eodem Gaspare multa exstant tum in suis, tum in aliorum epistolis Indicis. Nos pauca tantum ex Antonij Quadri litteris ex Goa scriptis subijciemus. Gasparus Flander, ait, cum priscis etiam sanctis committendus, perpetua laude vel hoc nomine dignus est, quod quadam sancta ac facili conuersatione, & morum suauitate, immensum populum ad Deum pertraxit. Ad hæc laborum eius, quos hic breui quidem, quo vixit tempore, pertulit, tantus est numerus, eaque magnitudo, ut illud Salomonis ei plane competere videatur. Consummatum in breui, expleuit tempora multa.

Sapient. 4.

a. De eodem Ioannes Viringus in epist. ad lectorem in diario Medicorum Molani ex Massæo lib. 14. hist. Indica. Estque eius vita nuper edita Antuerpia an. 1610. conscripta à R. P. Nicolao Trigault tribus libris, qui eum scribit obiisse die 18. Octobris 1553.

## Prima die AVGVSTI.

### De sancto Ionato abbate Marcianensi.

Ex monumentis loci.

**M**Arcianis, depositio sancti IONATI abbatis. Qui eleuatus est sexto iduum Aprilis, tempore Iudith abbatissæ. Fuit autem discipulus sancti Amandi, & eius auctoritate primus abbas Marcianis, omni virtutum decore adornatus, exemplis & orationibus multos ad Christum adducens. Post cuius administrationem fuit is locus annis plus minus trecentis triginta tribus virginum monasterium quibus prima præfuit sanctissima Rictrudis. Est autem Marciana vel Marcena locus